



Num
1.
2
3
4.
5.
6.
7.
8
9.
10
11.
12.
13.
14.
15
16
17.
18
19.
20.
21.
22.
23.
24
25.
26.
27.



Num	Presides	
1.	D. S. Struch.	De Jure Militiae imperialis
2.	D. J. Siebrans	De Jure Conceptorum singulari
3.	Frederici	De Juribus militum singularibus
4.	Gechman	De eo quod circa equos publicos iustum est.
5.	Willebrand	De homicidiis permisis et unpunitis
6.	Simon.	De excubiis rogatis atq; sagatis.
7.	Lincke	De metallicis militariis
8.	Lincke.	De Moeris Juribus munitis
9.	Gurgler	Observationum militarium centum.
10.	Stevoyt.	De iniusto armorum usu.
11.	Kardil.	De iudicio militum privilegiato
12.	Felting	De armatura episcopali
13.	Walther	Num ipse Rex vel Princeps bellis praesens adesse debeat
14.	Schnitzer.	De Praemunitioibus Praetitionum
15.	Schulze	De Inducis belli
16.	Gonkows	De Captivitate
17.	de Jena.	De Captivitate quae in bello est.
18.	Weinici	De Exploratoribus Principum
19.	Ferdinand Stockh.	De Captivitate Civium censibus eam ^{menda}
20.	Berger	De Privilegiis militum circa testamenta.
21.	Herdesiang	De re ac jure militari
22.	Fritsch.	De Jure Frustrationis & Sequelae.
23.	Hammer.	De milite Deplore
24.	Donaver	De liberis dimissis
25.	Strove	De Araris militari
26.	Felajius	De Praeda militari
27.	Reber	De Receptu rerum

Num.	Præsidet	
28.	Phaden.	De Jure belli.
29.	Horn	De bello.
30.	Coccejus	De Fuga.
31.	Cronst.	De Officio Transfugorum militandi adversus.
32.	Coccejus	De partibus desertor.
33.	idem.	De Guarantia pacis.
34.	Prager	De Officio et Jure Mediatorum Pacis.
35.	Pudolph.	De Neutralitate.
	Hein	Dispositiones miscellaneae in
36.	Scharf	- foederibus. Vid. esse
37.	Beckmann	- belli commercis.
38.	Boer	- manu regia et militari.
39.	Scharf	- duellis.

S

DISSERTATIO POLITICA
DE
PRÆDA MILITARI,

Quam

AUXILIANTE DEO T. O. M.
SUB PRÆSIDIO

DN. M. JOH. PAULI *Selwingers* /
Polit. & Log. Prof. Publ. Universitatis
Senioris & Stipendiarios. Noricorum
Inspectoris

publicè pro viribus defendet

JOH. LUDOVICUS *Unker* / Hall: Saxo:

Ad d. Kalend. Novembr.

ANNO CHRISTI M. DC. LXXVI.

ALTDORFI

Typis Johannis Henrici Schönnerstädt.



DISSSERTATIO POLITICA
DE
PRÆDA MILITARI
Quam
AUXILIANTE DEO T. O. M.
SUB PRÆSDIO
DN. M. JOH. PAULI
Polit. & Leg. Prof. Publ. Universitatis
Sectionis de Administratione Notarum
Inspectoris
publice provisione
JOH. EDUARDUS LUBBE-HALSZOR
Cand. Jur. & Notar.
Anno Christi DC. LXXVI
Hildesheim
Typis Johannis Heide'schen





Σὺν Θεῷ προσαγία!

DISSERTATIO POLITICA
DE
PRÆDA MILITARI.

I.



um inter fratres, Romulum scilicet & Re-
mum de loco condendæ Urbis, quam inten-
debant, discordia intercederet, illam diri-
mendo litem *augurio* committebant, quòd
Vulturum volatum statuebant, quos Vultures
in augurio capiendo Romani præcipuos ha-
bebant ex ea causa, quod vultur sit animal præter cætera in-
nocentissimum, nec fatis, vel plantis, vel pecori incommo-
det. Cadaveribus tantum vescitur: nihil, quod vivat, per-
imit, neque ei nocet. Volucris ob cognationem abstinet
etiam mortuis, *teste Plutarcho, in Romulo, pag. mihi. 15.*

Auguri-
um Vultu-
rum apud
Romanos

II. Verum enim verò, an huic augurio responderit even-
tus quoque, cognoscitur ex Romanorum moribus inse-
quentibus, dum totum penè orbem injustis suis armis in-
vasere, & multorum millium hominum innocentissimo-
rum sanguinem profuderunt, omnia sibi subjecerunt, bona
rapuerunt, homines in detestabilem servitutem turpiter
redegerunt. *Vid. Guevarra in Horolog. Princip. l. 3. c. 3. in fin.
pag. 597. item pag. 593. Quod de ipsis Romanis prædicat Ci-
cero, l. 3. de Republ. Quod si omnes populi, inquit, penes quos*

A

fit

Romano-
rum ini-
quitas

fit imperium, ipsique Romani, qui orbem totum posse-
dere, justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere, quod vi
aut armis occuparunt, *ad casas & egestatem reverterentur.*
Quibus quæso, majores insidias struxerunt, & quos majori
injuriâ affecerunt, quam homines, quorum omnium pe-
nè similis natura est *l. 13. in fin. C. de Contrahend. & Committend.*
Stipulat. l. 3. ff. de Just. & Jur. quæque inter nos cognationem
quandam constituit, ut potius inde hominem beneficio
adfici intersit hominis.

dictæ ini-
quitas
Color,

III. Quoniam verò hominum *appetitus habendi* in tantum
excrevit, ut, posthabito justo & honesto, etiam aliena, &
ab aliis jamjam possessa & occupata invadere, & sua facere
allubesceret, sibi quasi jus constituerunt, laudique duxe-
runt, ea, quæ robore & viribus corporis aliis detrahere, ju-
stum & licitum crederent, adeoque quidem ut talia *Juris*
Gentium asserere non dubitarent. Hinc descendit jam *ratio*
Belli, in quo Victori omnia victi bona cum vita concedun-
tur, & Prædæ loco permittuntur. Et ne cupiditas illa ha-
bendi ita cuivis injusta statim & primo intuitu appareret,
in speciem, (quâ iniqua semper coloranda sunt) confin-
xerunt quasdam limitationes, quæ si observarentur, justæ
actiones illæ viderentur.

qui est
Præda.

IV. Quæ limitationes & circumscriptiones cum mul-
tùm concernant *Prædam & modum prædandi*: animus nobis
est, omissis aliis, solum pro hac disputatione, de *Præda Mili-
tari* agere, cujus naturam consideraturis opus est, ut illam
considerent secundum Etymologiam, Homonymiam,
Synonymiam, ejusque Definitionem, aliaque, quæ circa
eam moveri possunt.

Ejus Ety-
mologia

V. Quod igitur vocabulum Prædæ attinet, videtur illud
deductum esse à *pariendo*, quasi *parida*, quod manu parta sint,
teste Varrone & Gellio, l. 13. c. 28. Et vocatur etiam *Spolium*, ut-
pote

pote quod est omne illud, quod manu militari obtinetur: interim tamen non omne captum ab hostibus, Spolium est, prout vult *Gæddæus ad L. 3. §. 1. ff. de V. S.* Aliàs Spolium propriè eorum est, qui vitâ privantur, teste *Plinio in Panegyrico, c. 36.* Unde Spoliarium locus est in Amphitheatri parte, ubi vestes occisorum & arma deponebantur. Item locus, in quo & damnati spoliebantur, qui statim capite pœnas daturi essent. At Præda sunt ipsa corpora rerum, quæ capta sunt. In quo Præda à Manubiis distinguitur, quod manubiæ non sint præda ipsa, sed pecunia, per Quæstorem populi Romani vel Præfectum Aërario, ex præda vendita, contracta, *Gell. l. c.* Præda igitur propriè consistit in rebus, quæ de victis hostibus capiuntur: & intelligitur omne illud, quod bello hosti eripitur, sive persona sit, sive res, eaque sive mobilis, sive immobilis, sive durante bello, sive hostibus devictis capiatur. Hinc ulterior apparet differentia inter Spolium & Prædam, quod Spolium sit, quod ipsis personis detrahitur: præda verò complectatur tam res, quam personas ipsas, & propriè ad res mobiles spectet.

à Spolio & Manubiis differentia.

VI. Quando dicitur, quòd Præda sit res, quæ devictis hostibus capitur, distinguitur à furto & rapina, & latrocinio, cui antiquitus Gentes operam multam dederunt, sibi que laudi duxerunt, prout ex Historia abundè constat, *Justin. l. 43. c. 3.* item *Cæsar. l. 6. de Bello Gall. c. 23.* Piratæ itaque & prædones quod capiunt, jure non reddunt sua, nec præda propriè dicenda, quod ita rapiunt, *Vid. Florus l. 3. c. 8.* Nihil itaque rei hîc nobis cum *Balearibus*, aut *Cilicibus*. Nec fero-cis *Caci* furtum & abigeatum ceu prædam probamus, de quo videatur *Livius l. 1. c. 7.*

Distinguitur Præda à furto, rapinâ & latrocinio.

VII. Ex his videtur conflare posse definitio Prædæ talis: Præda bellica est corpus rei captæ, quod jure belli hosti eripitur, sive sit persona, sive res, & hæc vel mobilis, vel immobilis,

Prædæ definitio.



vel privata, vel publica, vel sacra, & religiosa, modo capientibus desinat esse talis, cum non natura sit talis, verum instituto, & siue durante bello capiatur, siue hostibus devictis.

VIII. In qua definitione simul continetur aliqua divisio Prædæ, quod nimirum aliqua sit *rei mobilis*, aliqua *rei immobilis*; aliqua *Sacra & religiosa*, aliqua *communis & profana*, &c. de quibus in sequentibus plura erunt dicenda. Notandum autem hîc est, quod quando res immobiles referantur inter prædas, quæ sunt corpora rei captæ, non obstet quorundam sententia, quâ volunt res immobiles non capi, sed *invadi*, §. 1. *Instit. de Vi bonor. raptor.* siquidem etiam ager manucaptus dicitur, l. 16. ff. de Acq. Rer. domin. Unde agri captivi apud Tacit l. 12. *Annal. c. 32. n. 4.* Præterea observandum, quando dicitur, quod Prædæ sint *Corpora* rei captæ, quod per hanc non excludantur *res incorporales*, v. g. obligationes & chirographa: nam corpus hîc in latiore significatione accipitur, nimirum non in ea, quatenus rei incorporali, siue juri opponitur, sed pro omni eo, quod hostis fuit, & ei eripitur, siue sit substantia, siue qualitas. *Vid. nostra disput de Victor. §. 64.* qua de controversia forsitan infra plura, cum videam præclarissimos viros contrarium statuere.

IX. Dicitur porrò in definitione, quod Præda sit, *que jure belli hosti eripitur.* Ex quo statim *Quæstio* oritur, *an prædari liceat jure & salvâ conscientia?* Cujus quæstionis decisio petenda veniet ex illa quæstione: *An bellum salvâ conscientia & jure geri possit, nec ne?* Hîc in principio sciendum, Bellum dupliciter considerari posse, I. *in genere & abstractivè*, siue absolute. II. *in specie & ex applicatione.* Si primo modo consideratur, dicendum, Bellum esse contra jus naturale & humanum, utpotè quod consistit in internecione sibi similis, siue hominum, quorum omnium similis natura est, uti diximus supra *th. 2. ex l. 13. in fin. C. de Contrah. & Committend.*

Prædæ divisio.

An res immobiles capiantur.

Quomodo Præda dicatur Corpus?

An salvâ conscientia prædari liceat?

An bellum salvâ conscientia geri possit.

Bellum dupliciter considerari potest.

mittend. Stipulat. & inter quos ipsa natura cognationem, quandam constituit, l. 3. ff. de J. & J. cum itaque homo non debeat facere aliis, quod sibi fieri non vult, l. 1. ff. quod quisq³ juris : quomodo bellum jure naturæ geri poterit, in quo non solum homo, ceu creaturarum dignissima l. 44. ff. de Ædilit. Edict. ut bestia aut bellua crudelissimè interficitur, sed etiam omnibus suis bonis spoliatur & exuitur : nullo discrimine homo magis à DEO ad belluarum similitudinem deficit, quàm bello : imò bello homo feris deterior est, teste Horatio, Epod. 7. vers. XI.

I. Abstra-
tivè.

*Neg, hic Lupis mos, nec fuit Leonibus
Unquam, nisi in dispar, feris.*

Ad hominum illud divinorum animalium genus non horret tantum nefas, sed lætis oculis

Alterum in alterius mactatum sanguine cernit :

Id quod rectè observavit Plinius in Proëmiol. 7. Histor. Natur. quando scripsit : *Leonum feritas inter se non dimicat : serpentum morsus non petit serpentes : ne maris quidem belluæ ac pisces nisi in diversa genera seviunt. At Hercule, homini plurima ex homine sunt mala.*

X. Si verò 2. modo bellum consideratur, quoniam inter tot vitia, quot homines, & tot inter hostes, quot vitia vivitur, bellum nihil aliud est, quàm armatum quoddam, justitiæ humanæ præsidium, sive justa potentiorum causarum, quibus par judex non est, supra leges, non tamen contra eas, disceptatio. Ex tali itaque causa, tam efficiente, quàm materiali ac finali, bellum justè & salvâ conscientiam geritur : siquidem hoc modo arma inter Principes sunt, quod leges inter privatos. Regna alienata non in rem, actione civili, non tribus Prætoris verbis, sed cruentis plerumque judiciis repeti solent : in quibus actio bellum est, judex gladius, probatio victoria, denique sententia & rei

2. Applica-
tivè.

judicatae executio, mors sive servitus, ut rectissime statuit *Forstner. in Hypomnemat. 76.* Sicuti ergo Legum executio salvâ conscientia institui; ita etiam justitiae administratio per arma inter principes licite exerceri potest.

cur præda
illiceat.

XI. Si jam tum respectu DEI, tum respectu naturæ bellum, in quo pro ratione causarum, homines ipsi interfici possunt, geri potest, quis negabit, etiam prædari licere? cui enim licet quod majus est, licebit utique quod minus est, *l. 21. ff. de R. J.* Sanè hominum malitiæ & proximo nocendi affectui rectius resisti non poterit, quam subtrahendo instrumenta lædendi & nocendi, quæ sunt res inimicorum, quarum occasione & fiducia statum publicum inquietare & turbare solent. Et ex hac causa Gentes concesserunt hostium vires quocunque modo frangere, indeque illa infinita nocendi licentia, jus quoddam prædandi constituit, *Vid. Gaddaus l. c. n. 6. & 7.* & sic certare odiis, tum res rapuisse licebat: neque quem privare vitâ poteras, bonis exuere aut capere, durum videbatur. *Vid. Cicerol. 3. de Offic.*

dubium
ex Can. 5.
Caus. 23.
q. 1.

XII. Ex quo apparet: quid respondendum sit ad *Can. 5. Caus. 23. q. 1.* ubi dicitur: *Militare non est delictum; sed propter prædam militare peccatum est.* Prædari itaque salvâ conscientia non licebit. Præda ut talis, non debet esse finis belli, sed administratio justitiae, quæ aliquando exercetur in pœnis infligendis, inter quas interdum refertur bonorum ablatio & confiscatio, uti constat ex *titul. ff. de Bonis Damnator.* Potest itaque Præda adjunctum quoddam esse Belli, licet non finis primarius. Quid quod de dividenda & distribuenda præda ipse DEUS leges dederit in *V. T. Numer. c. 31. vers. 9. & 17.* Addatur *2. Paralip. c. 14, 13.* Aliàs si rigidè cum militibus suis Imperator agere vellet, ipsis de Præda nihil deberetur, quia totum bellum sumptibus Principis geritur, atque iisdem milites ex pacto & contractu in militiam conducun-

ducuntur, qui proinde suo salario debent esse contenti, & com-
 meatu: si modò rectè & debito tempore stipendia mi-
 litibus solvantur, & justus com-
 meatus suppeditetur: hoc si
 fiat, sanè jure ultra determinata sua stipendia, nec ut su-
 perpondium, pro laboribus suis militaribus, nihil exigere
 possunt, non aliter ceu operarius supra semel constitutam
 sibi mercedem, jure nihil petere potest. *Luc. 3, 14. Matth. 20,*
13. & 14.

XIII. His ita intellectis, videndum erit, quænam sint
 ea, quæ nomine prædæ venire & intelligi possunt. Sunt
 autem, ut paucissimis dicamus, *Hostis, & quæ sunt hostis.* Quo-
 niam verò credimus, quæcunque apud hostes invenimus,
 hostium esse, sciendum est, non statim hostium esse, quæ-
 cunque in hostico inveniuntur. Siquidem aliquando res
 apud aliquam Civitatem custodiæ ergò deponuntur, in quas
 res depositas, Civitas postea facta hostilis, nihil juris habet;
 neq; etiam ille, qui res istas deposuit, istius provinciæ aut re-
 gni ulla ratione membrum est, ut inde possit pro hoste æsti-
 mari; adeoque neque in illa bona, quæ penitus sunt pere-
 grina, & personæ quoque peregrinæ fortè fortuna in hosti-
 co paululum visendæ regionis aut aliorum negotiorum
 causâ commorantes, invadi aut spoliari debent aut pos-
 sunt: quoniam in societate illa, ut partes non sunt: nisi for-
 san ex bonis talia sint, quibus hosti noceri, ut pulvis tormen-
 tarius, aut alia arma; aut personæ peregrinæ, belli confor-
 tes se faciant, nimirum solùm consilia contra hostem sup-
 peditando. Ratio autem hujus asserti est, quòd *terra ho-*
stem non faciat, sed societatis hostilis communio. Nam si
 locus ut talis hostem faceret, sanè milites mei, qui mihi
 fidelitatis juramento sunt obstricti, si eos ego in hostis mei
 territorium duxissem, hostes mei redderentur, quod ab-
 surdum. Accedit, quod *in Cap. 2. de Treuga & Pace*, in
 termi-

Quæ no-
 mine Præ-
 dæ veni-
 ant,

non pere-
 grina,



in hostico
deprehen-
sa

terminis dicatur, quod *peregrini & mercatores* pace frui de-
beant. Si verò damni quid accidat peregrino, vel bonis,
vel corpore, dum est in hostico, læsis, excusantur lædentes,
qui quemvis in hostico deprehensum, hostem præsumen-
tes, ex ignorantia justâ nocuerunt; cui ignorantia forsan
ansam præbet Majestas illa, quæ peregrinos in sua civitate
commorari patitur, cum dominium territorii penes eam
sit, & per hoc potestas peregrinos arcendi, expellendi, ad-
mittendi, tolerandi, vel sine, vel sub certis conditionibus.
Itaque ille, qui bellum gerit, ne crudelitatis alicujus accu-
sari queat, prudenter & humanissimè aget, si denunci-
et peregrinis, ut discedant peregrini, exemplo Corcyræorum,
apud *Thucyd. l. 1. pag. mihi 13. Grot. l. 3. de J. B. & P. c. 4. n. 7.*

An metu
obsidio-
nis uxo-
res, liberos
& bona a-
liorsum ex
urbe trans-
ferenda.

XIV. Hic, occasione allatæ de Peregrinis controversiæ,
placet etiam proponere quæstionem illam, à nostra mate-
ria non prorsus alienam: *An in obsidionis metu, civitate peri-
clitante, uxores, liberi & bona ex urbe possint dimitti, & in lo-
ca tutiora ablegari, ne, civitate ab hoste occupatâ, omnia militi in
prædam cedant?* Sunt, qui sequuntur partem negativam: quia
hoc modo, oppidum, locumquè facilius hosti occupandum
relinquunt, cum, quod nihil, pro quo aliàs fortiter pugna-
rent, ulterius in Civitate habeant. *Deinde* dicunt, illos,
qui bona sua & familiam instantis belli fortunæ eripiunt,
timorem fateri, urbis munitionibus se minus fidere de-
monstrare, sicque pessimo exemplo omnibus ad pusillani-
mitatem præire. *Verùm alii respondent*, hoc modo nequa-
quam timorem fateri, sed egregium prudentiæ & fortitu-
dinis edere experimentum. Etenim dementiæ est, hostem
sæpè non tam victoriæ, quàm prædæ inhiantem, retentis in
urbe bonis, ad audendum aliquid excitare. Prædæ cupi-
dine ad quæcunque molienda miles accenditur, eaque
omnem cædem & vulnera & sanguinem fatis pensari exi-
stimat.

stimat. Julius Cæsar in Gallia diruit sæpius urbes ob prædam, quàm ob delictum, teste Suetonio in Cæs. c. 54. Galli prædæ ubertate sollicitati in Macedoniam irruerunt (undè Galli, avidissima rapiendi gens, vocantur à Livio, l. 38. c. 27.) Justin. l. 25. c. 1. Prudenter igitur agunt, qui, quæ hostes aut excitare, aut ditare possent, dubiis belli casibus exempta, locis tutioribus committunt. Pro sententia itaque affirmativa faciet, quòd, absentibus uxoribus & liberis, obsessi fortius civitatem defensuri sint, quàm cum lachrymis conjugum & liberorum in defensione defatigentur aut emolliantur. Non enim desunt etiam hujus ætatis & recentissima exempla, ex quibus nimis manifestè apparet, non tam adversariorum virtuti, quàm formidini uxoribus ac liberorum cessisse, & etiam maximi momenti arces & loca, nondum ad necessitatem ullam, aut justam timendi causam redacta, hosti tradidisse Gubernatores. Vid. Zevcotius in Notis ad Flor. l. 2. c. 6. pag. 265. & seqq.

XV. Ut autem distinctè intelligamus *Objectum prædæ*, quæ sunt personæ & res; sciendum, quòd personæ possint esse vel *Universæ*, ut Universitas, Civitas; vel *singulæ*, quarum occupatio specialiter *Captivitas* vocatur: ad distinctionem Universitatis, quam nonnulli volunt non fieri *Servam*, sed solum *Subditam*. Personæ autem hæc hostiles sunt tum ipsi *militēs*, tum quæcunq; adversæ Reipublicæ partes, sive principales, ut *Cives*, sive minus principales & quasi accessoriæ ut *incola*, qui ex causa domicilii majestati istius reipublicæ subjiciuntur, l. 7. C. de Incolis, l. 29. ff. ad Municipal. ita ut non excipiantur *infantes, fæmina aut senes*, si de rigore & licentia Victoris loqui velimus. Vid. Grot. l. 3. de J. B. & P. c. 4. §. 9. Quæ licentia sine truculenta cæde, omni excusatione vacante, exerceri non potest. Ex qua causa à tali truculenta licentia leges mitiorum populorum recesserunt,

Objectum
Prædæ,
sunt Per-
sonæ, &
Res.

Quæ sunt,
vel
Universa-
les.

vel
singulares.

vid. Reuterbestall. Anno 1570. art. 7. Fußknechtsbestall. Anno 1570. art. 57. & Dania, Dennemärckisch Kriegsrecht / Art. 40. Hodiè pro dolor non sine infamia, qui aliàs Christianissimi haberi volunt, mitigationem hanc negligunt omninò milites Gallicani, prout illud pluribus legitur, & toti Christiano Orbi ad oculos in perpetuam infamiam Ducis exponitur, in der Französische Tyrannen / pag. 17. 18. & in Diariis Europæi parte, 31.

Res item.
vel Mobiles,
vel
Immobilis.

XVI. Res quod attinet, Hostiles, & illæ sunt vel Universales, puta integra territoria, vel singulares, vel mobiles, vel immobiles, si modò in illas hostis dominium habeat, ita ut sub his quoque comprehendantur, quæ sunt in publico hostium patrimonio, non exclusis etiam iis, quæ aliâ ratione in Reipublicæ hostilis cura non sunt, ut res divini juris, licet hæ respectu dominii privati nullius esse dicantur, l. i. de Rer. Divis. l. 36. de Relig.

quædam
res solent
excipi
à præda.

item quædam
personæ.

XVII. Observandum nihilominus est, si ille, qui bellum gerit, tum quasdam personas, tum quasdam res, velit à promiscua hæc militum spoliatione excipere, illud in potestate ejus situm esse: id quod etiam leges Germaniæ attendunt, quibus excipiuntur, aratra, furni, molendina, Reuterbestall. art. 69. Fußknechtsbestall. art. 53. Legibus Sueciæ, quævis instrumenta rustica, Schwedisch Kriegsrecht / art. 77. & quorumcunque non militantium res & personæ, art. 79. 81. sicuti recensetur in Cap. 2. de Treuga & Pace, Presbyteri, monachi, conversi, peregrini, mercatores, (addantur Studiosi,) rustici, euntes vel redeuntes, vel in agricultura existentes, & animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum, congruâ securitate lætentur. Grot. l. 3. c. XI. n. 10. & XI. Huc referenda sunt, vinum, frumentum, farina, arbores fructiferae, &c. In specie autem quod arbores attinet, notandum est, solùm excisionem fructiferarum arborum prohiberi, non omnium,

omnium, uti clarè constat ex *Deuter. 20. v. 19.* ubi in ipso textu causa additur, quia possunt præbere cibum obsidentibus; deinde, quia arbores lignum sunt, & non homines, qui possent bellantium numerum contra nos augere. Steriles verò excindi, & ex illis propugnacula in obsidione urbium parari possunt. Hæc autem omnia non tantum Treugæ, sed etiam guerræ tempore observari debent. Horum quidem observatio à multis retrò seculis fuit neglecta, ut mirum non sit hæc temporis iniquitate non servari, uti con-
queritur Zæsius in Commentar. suo ad Jus Canon. pag. m. 92.

XVIII. Antequam hîc abeamus, placet adhuc alia quædam subjicere, quæ ad uberiolem elucidationem eorum, quæ adducta sunt, non parum facient. Dictum fuit, quòd in prædam veniant & Personæ, & Res hostiles. Quoniam verò personæ sint vel *Clerici & Sacerdotes*; vel *Laici*: vel *Masculi*, vel *Fæminæ*; vel *infantes & pueri*, vel *Senes & decrepiti*. Quæritur I. de Clericis & Sacerdotibus, an Victor illos etiam capere, & prædæ loco habere debeat, ita ut in eos etiam jus vitæ & necis, jure Victoriæ victori competat? In Sacerdotibus, qui religioni vacant, quorum arma preces sunt & lachrymæ, sæviendum nequaquam est. Id quod observârunt Cretenses, cùm bellis intestinis colliderentur, à Sacerdotibus omnem noxam abstinerunt: Et Gothi à Procopio laudantur, qui Sacerdotibus Petri & Pauli extra urbem percerunt. Quod si verò ipsi quoque arma tractent. *Vid. Reinhard. König. in Theatr. Polit. part. 3. c. 5. num. 76. v. g. Episcopus aliquis, aut solùm verbis flabella existant, & consilia bellica, tam publicè pro concione, quàm privatim suppeditent, & sic suos concives ad vim & violentiam excitent, ut v. g. quondam Demagogi: vid. nostra disp. Polit. de Demagog. §. 22. 25. Item Burgoldensis ad Instrumentum Pacis, part. I. discurs. 20. pag. mibi, 342. & seqq. omninò ut hostes pessimè,*

distinctio
 personarum.

Clerici,
 prædæ loco non habentur.

nisi rebus
bellicis se
immisce-
ant.

imò in aliorum exemplum deterius tractari poterunt. Re-
tè inde Richardus I. Rex Angliæ, Philippum Episcopum
Beavoicensem in bello captum, in carcerem & vincula
conjecit, de quo cum Episcopus ad Pontificem Romanum
graviter conquestus esset, Pontifex literis ad regem datis
obnixè rogavit, ne filium dilectum, personam sacram,
& pastorem gregis dominici ulterius detineret: unde Rex
Legatum ad Pontificem amandavit, & jussit Pontifici
ostendere arma, quibus indutus Episcopus erat: Et verbis
filiorum Jacobi Patri quærenti de eorum fratre absente,
eum alloqui: *Hanc invenimus, vide nunc hæc sit tunica filii
tui?* Cui Pontifex respondit: Hæc nequaquam est tunica
filii, aut fratris mei, sed alicujus Sobolis Martis, & per me,
illius intercessione pro libertate sua recuperanda, si volet,
utatur. *Vid. Burger in Observat. Militarib. pag. 50.*

Idem di-
cendum
de Mulie-
ribus.

XIX. Idem quæritur *de Mulieribus*, de quibus Alexandri
Magni vox apud *Curtium l. 4. c. XI. n. 17.* responsionis loco esse
poterit, quando dixit: Cum captivis & fœminis bellum ge-
rere non soleo, armatus sit, quem oderim. Et sanè quos
ipsa natura fecit inermes, hos armis invadere contra natu-
ram & jus belli est. Undè per præconem edici mos vetus
est, non occisum iri inermes. *Vid. Onofander in Strategico, c.
42. pag. mihi 152.* Hæ enim ad belli munia communiter sunt
ineptæ. Sic Camillus apud *Liv. l. 5. c. 27.* dicit: Arma ha-
bemus non adversum eam ætatem, cui etiam captivis urbi-
bus parcitur, sed adversus armatos. Sic quoque Armenius
apud *Tacit. l. 1. c. 59. n. 4.* ait: Non se proditione, neque ad-
versus fœminas gravidas, sed palàm adversus armatos bel-
lum tractare. Quid quod ipse DEUS parcere jussit mulieri-
bus & pueris, *Deuter. 20, 14.* Cum tradiderit Dominus DEUS
ruius illam in manus tuas, percuties omne, quod in ea gene-
ris masculini est in ore gladii. Absque mulieribus & in-
fanti-

fantibus. Addatur *cap. 4. v. XI. Jonæ.* Sævire itaque in fœ-
 minas, pueros, semper fœdum habitum est: prædæ tamen
 cedunt, & in servitutem rediguntur, *ait Zæsius, l. c.*

XX. Cùm itaque sævitia in mulieres semper habita fue-
 rit fœda, & tamen sævitix species quædam videatur violen-
 ta corporis, & pudicitix muliebris violatio & corruptio,
 quæritur, num jure victoriæ supra in fœminas bello victas
 admittere liceat? *ꝛ.* Licet sint, qui affirmant, & quidem ali-
 qui ex Hebræis, cum captiva gentili concubitum unicum
 fuisse permissum, non tamen iterari eum potuisse sine nu-
 ptiis, uti adfert *Seldenus de Jur. Natur. l. 5. c. 13.* sed sine ex-
 presso Scripturæ suffragio, (*videatur tamen c. 21, 10. & seqq.*
Deuter. item Oslander in Grot. de J. B. & P. pag. 1413.) melio-
 ris tamen commatis sunt negantes, *Grot. l. 3. de J. B. & P. c. 4.*
n. 19. Ælianus, inquit, cùm narrasset à Sicyoniis victoribus
 fœminarum ac virginum Pellenæarum pudicitiam prosti-
 tutam, sic exclamat: Crudelia hæc per Deos Græciæ, &
 quantum memoria complector, ne ipsis quidem barbaris
 probata. Atque id, *pergit Grotius,* inter Christianos ob-
 servari par est, non tantum ut disciplinæ militaris partem,
 sed etiam ut partem Juris Gentium: i. e. ut qui pudicitiam
 vilæ sit, quamvis in bello, ubique pœnæ sit obnoxius. Ar-
 rigite aures vos milites pessimi & impiissimi, contra Belgas,
 non viros, sed fœminas & virgines, permittente, imò ju-
 bente Duce vestro pugnantes & mœchantes. Captis The-
 bis ab Alexandro Timocleam, insignem fœminam The-
 banam, Thracius quidem Dux constupravit, cumque post
 id, eam posceret pecuniam, à muliere ad puteum seductus
 fuit, in quo dixerat pretiosiora rerum suarum occultari,
 Ducemque super os putei spectandi causâ inclinatum, in
 profundum detrusit, superneque injectis lapidibus oppres-
 sit. Ob id facinus adductam ad se in vinculis fœminam,

An supra
 in fœmi-
 nas bello
 captas li-
 ceat ad-
 mittere.

rationes
 & exem-
 pla negan-
 tia.



percuntatus est Alexander, quænam esset; Ea que imperter-
rita: Theaginis, *inquit*, sum soror, qui contra Philippum
electus Imperator, fortiter pugnans pro Græciæ libertate,
occubuit. Magnanimitatem mulieris & constantiam ad-
miratus Rex, liberam eam cum filiis dimisit, Ducem etiam
quod passus est, meritum existimans, *Curt. l. 2.* Haud mul-
tum dissimile, laudabile tamen exemplum à *Lipfio adducitur*
in Monitis, l. 2. c. 10. n. 7. item ab Eichelio Doct. & Prof. Helma-
stad. in disput. de Justitia, thes. 26.

XXI. Rectius feceritis impurissimi milites & duces, si
imitemini Alexandri M. continentiam, quam exercuit,
erga captivam Darii uxorem, uti eam refert *Curt. l. 4. c. 10.*
Item Constantini, cujus continentia exemplum laudat
Nazarius Panegyri. dicens: Nullam matronarum, cui for-
ma emendatior fuit, boni sui piguit: quum sub abstinentis-
simo Imperatore species luculentæ non incitatrix licentiæ
esset, sed pudoris ornatrix. Sic *Ammianus Marcellinus*, Ju-
lianum in hoc Alexandrum & Scipionem imitatum fuisse
refert, *l. 24. pag. mihi 296. Polyb. l. 10. Valer. Maxim. l. 4. c. 3. Ju-*
lius Frontinus, Strateg. l. 2. c. 2. Ex virginibus autem, quæ spe-
ciosæ sunt captæ, ut in Perside, ubi fœminarum pulchri-
tudo excellit, nec contrectare aliquam voluit, nec videre:
Alexandrum imitatus & Africanum, qui hæc declinabant:
ne frangerentur cupiditate, qui se invictos à laboribus ubiq;
præstitissent.

Mulieres
non sube-
ant officia
virilia.

XXII. Caveant interim sibi fœminæ & mulieres, ne
proprio ausu subeant officia virilia & militaria, nisi velint
cum militibus eandem experiri sortem, ut licitè interfici-
antur, & intereant. Aurelianus Imperator mulieres, quas
virili habitu pugnantes cepit, multos cecidit, alias in tri-
umphum duxit. Et *Albericus Gentilis*, non parcendum
esse, ait, Amazonibus, quales fuerunt Artemisia, Zenobia,
Victo-

Victoria, mater castrorum cognominata; non furialibus illis, quæ ad Monam insulam Suetonio Paulino occurrerunt, non magis, quam viro ulli: nam in eo, quod viros agunt, non sunt fœminæ, aliter facilè esset contra hostes tueri omnia, positis fœminis custodibus & defensoribus, si etiam in tali casu ignominiosum esset, lædere fœminas, uti crediderunt Spartani ab Argis oppugnandis abstinentes, quia in defensione mulieres erant. Deinde fœminæ securitatis privilegio in bello gaudere non possunt, si jussu DEI interficiantur, uti contigit apud Midianitas, *Numer. c. 31. v. 16.* cunctos, dicit DEUS interficite, quicquid est generis masculini etiam in parvulis: & mulieres, *quæ noverunt viros incoitu jugulate.* Puellas autem & omnes fœminas virgines reservate vobis, puta *in prædam.* Siquidem DEI illa sunt opera, cujus in homines jus majus est, quàm hominum in bestias. *Adde Deuter. 2, 34. Psalm. 136. v. ult. Esa 13, 16.*

XXIII. Hactenus de personis in prædam venientibus actum est: sequitur, ut etiam agamus de rebus sortem prædæ nanciscentibus. Cùm itaque res etiam sint vel *Universales*, puta integra territoria, vel *singulares*: exque vel *mobiles*, vel *immobiles*: iterumque vel *Sacra*, vel *profana*; quædam *corporales*, quædam *incorporales*: Omnes hæ communi nomine prædæ intelliguntur, *argt. l. 36. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Solùm de Rebus Sacris dubium moveretur. Paulus *Æmilius* in Persei causa monebat Romanos Sacerdotes; Si humani nihil metuerent, at divinam vindictam timerent, iisque semper imminentem, qui victoriis insolentius uterentur. Proinde ita usurpandum jus victoriæ ne jura humanitatis exuantur. Apud Gentiles olim jus victoriæ Divinorū humanorumque omnium deditioem complectebatur, uti constat ex *Livio l. 1. c. 3. n. 8.* Undè *Tacitus* scribit *l. 3. Annal. c. 71. n. 2.* Cunctæ ceremoniæ Italicis in Oppidis, Templaque & Nu-

An res Sa-
cræ sint
prædæ lo-
cor?

& Numinum effigies, juris & imperii Romani sunt. *Henniges de Summa Potestate in res Sacras, c. 9 §. 9. pag. 803.* Sed non eò licentiæ, *inquit Gustmair, in Feciali Germanico l. 2. c. 8. pag. 312.* inter Christianos procedit jus victoriæ, quo quidem humana omnia, non verò *Divina*, capi ac tolli possunt. Primò enim jus Sacrorum cælestium mutari aut tolli jure Victoriæ non potest; Sacra enim sunt bona Spiritualia animæ, quæ sub Martis aleam non cadunt, nisi & cum DEO bellum gerere, & expugnare Cælum Victor possit. Non enim, *pergit*, pro humano jure divina justitia violanda est, nec gladius in eos potestatem habet, quos ara tuetur. Adfert postea exemplum Electoris Saxonix, à Carolo V. capti, cui religio jure victoriæ eripi non potuit. Verùm puto hæc non rectè adferri, cum non sit quæstio de ipsa Religione, sive fide, sed de templis, & aliis rebus cultui divino consecratis.

Aliud est, res Sacra, aliud ipsa Religio.

An templa, & alia sacra liceat vastare & diruere.

XXIV. Dicimus nos jure Gentium etiam res sacras, templa & alia in prædam rectè cedere, cujus sententiæ rationes sufficientes adduximus *in Dissert. nostra de Victor. §. 45.* Verùm an inde quoque Victori competat, omnes illas etiam vastare & diruere, uti hodiè faciunt nostri milites, dicendum, grande facinus illum perpetrare, qui foris devastat & diripit, quod domi summa veneratione prosequitur. *Vid. disp. cit. §. 47. & 48.* Cùm Titus Hierosolymam obsideret, cum Ducibus præcipuis de Templo deliberationem iniit, quorum aliqui in ea erant sententia, ut belli jure uteretur, nec ulli parceret; Alii à templo violando abstinendum censebant, nisi Judæi de templo bellarent, quo casu non templum, sed castellum haberetur. Cæterum Titus, etsi Judæi templo occupato repugnarent, se virorum loco, res inanimatas ulturum negabat, nec tantum opus se crematurum, cujus vastatio Romanis damno, conservatio ornamen-

namento futura esset. *Vid. Burger in Observat. Militar. cent. 1. Observat. 91.* Simili laude cluit Serenissimus gloriosæ memoriæ, *Rex Sueciæ, Gustavus Adolphus*, qui cum Anno 1632. *Monachium* occupasset, & inter alia, magnifica illa palatia miratus esset, aliqui ex Regis Ducibus ipsi persuaderent, ut celeberrimum illud Palatium & Electoralem domum incenderet & destrueret, quò inde concepturus esset Elector Maximilianus magnum animi mœrorem & maximam tristitiam, quæ ipsi Electori certò brevi allatura esset mortem: Respondit illis, num possint simile palatium extruere! negantibus autem illis consiliariis dixit: ideò relinquantis hoc, ceu Mundi quoddam miraculum, integrum & inviolatum, cum ex destructione nobis major futura esset infamia, quàm gloria. Hoc certum est, vix ulli permissum impunè Sacra diripere & devastare: prout pluribus exemplis ostendit *Joh. Adamus Osiander in Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 5.* licet sæpè lento gradu divina Nemesis ad vindictam processerit. Leges pietati, & Jur. Gentium conveniunt militiæ Germanicæ, quæ jubent parcere quibuscunque rebus ad pios & divinos usus destinatis; *Sustnechtbestall. art. 9. Leges Militares Danicæ, art. 41. & Sueciæ, art. 83.*

Factum
laudabile
Gustavi
Adolphi,
magni
Regis Sue-
ciæ.

XXV. Quod si verò loquamur de *Jure Gentium*, dicendum: cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt Sacra esse, *l. 36. ff. de Religios. & sumpt. funer.* Et *Cicero in Verri- na quarta*: Sacra Syracusarum victoria profana fecerat. Rationem adducit *Grotius l. 3. c. 5. n. 2.* quod quæ sacra dicuntur, revera non eripiantur humanis usibus, sed publica sint; sacra autem nominentur à fine, cui destinata sunt. Cum itaque res Sacræ non sint tales ex sua natura, sed constitutione vel DEI, vel hominum, etiam ab hostibus iterum profanari, & ad alios fines destinari poterunt, *argt. l. 83. §. 5. & l. 137. §. 6. ff. de Verbor. Obligat.* Non obstante *cap. 3. de*

Jure Gen-
tium va-
stari pos-
sunt.

C

Rer.



Formula
Evocandi
DEOS.

Rer. Permutatione, ubi dicitur: *Quod semel DEO consecratum est, ad humanos usus transferri non debet.* Item *cap. 51. de R. Jur. in 6to.* Atque sic ex hominum opinione multa Sacra pendent, *judice Tacit. Histor. 5.* ubi dicit: *Profana illic omnia, quæ apud nos Sacra, c. 4. n. 1.* Quod simul patet ex eo, quod hostis sæpè faciebat ex locis sacris loca non sacra, suâ DEOS tutelares evocandi formulâ, quibus evocatis, urbe expugnata, ædes omnes ut profanas spoliârunt, ductis etiam in triumphum Simulacris. Formula evocandi talis fuit: *Si DEUS, si DE A est, cui populus, civitasq., v. g. Carthaginiensis est in tutela, teq., maximè ille, qui urbis hujus, populiq., tutelâ recepisti, precor, venerorq., veniamq., à Vobis peto, ut vos populû civitatemq., Carthaginiensiu deseratis, loca, templa, sacra, urbemq., eorû relinquatis, absq., his abeat, eiq., populo, civitatiq., metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditiq., Romam ad me meosq., veniatis, nostra vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorq., sit, mihi quoq., populoq., Romano, militibusq., meis prepositi sitis, ut sciamus, intelligamusq., Si ita feceritis, voveo vobis, templa ludosq., facturum.* Vid. *Macrobius l. 3. Saturnal. c. 9.* Quem morem etiam videtur innuere *Ulpianus, l. 9. §. 2. ff. de Division. Rerum.* Et ne talis profanatio locum haberet, sed urbs & templa sacra manerent, Simulacra sua aureâ catenâ devinxerunt, teste *Curtio l. 4. c. 3.* de qua superstitione *Augustinus l. 1. de Civ. DEI, c. 2.* eleganter scribit: *Non homines à Simulacro, sed Simulacrum ab hominibus servabatur, quomodo ergo colebatur, ut Patriam custodiret, & cives, quæ suos non valuit custodire, custodiet.* Vid. & *l. 4. c. 8.* Quod si talis Evocatio non institueretur, credebatur DEOS suos obsessis iratos fuisse, eâque de caulâ non malè *Fabius Maximus apud Plutarch. in Marcell. pag. mihi. 150.* putavit, *Tarentis suos DEOS iratos relinquendos esse.*

Ethnicorum
Aræ
rectè de-
struuntur.

XXVI. Liberrimè verò hostis templa & sacra evertet, si DEUS jusserit, uti continetur *Deuter. 7, 5.* Quin potius hæc facietis eis, Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosq;

lucosque succidite, & sculptilia comburite, quod etiam factum est à *Maccabæis* l. 1. c. 5. v. 68. c. 10, v. 84. Addatur factum *Danielis*, c. 14. item c. 1, 2.

XXVII. Quis pro hoste habendus, & quæ hostium esse creduntur, expositum esse puto. In considerationem jam haud incommodè veniet *Locus*, ubi nimirum præda capi possit, vel non? cùm suprà dictum, non statim omnia, quæ in hostico reperiuntur, hostilia quoque esse, sanè dubitandum est, ubi propriè prædari liceat. Afferimus itaque in genere prædari licere & *in Continente*, sive terra, & *in Mari*. At verò cum in utroque fieri possit, ut locus hostis nostri non sit, nec noster quoque, sed alterius, statuimus, ea, quæ sunt hostium, ubicunq̃ reperiantur, sive in hostili solo, sive in nostro, l. 51. ff. de *Acquir. Rer. Domin.* sive in eo, quod est nullius, sive in extraneo, l. 3. §. f. ff. ad *Leg. Cornel. de Sicar.* patiente tamen Domino territorii, apprehendi posse, sive Dominus territorii controversiis implicatus sit, sive non: *Vid. Bæckleri Quies in Turbis*, pag. 210. 213. ratio est, quia locus, in quocunq̃ tandem delitescet, hostem non facit, nec culpâ eum liberat: si enim locus differentiam faceret, nunc hostis esset, nunc non hostis; non hostis, si in terra non hostili; hostis verò, si in terra hostili offenderetur. Licebit itaque hostem persequi etiam in Amici territorio: Domino tamen, sive Amicò patiente & concedente. Aliàs potest Dominus istius territorii *paucos* (non verò *integros exercitus*, ita enim alterius partis redderetur particeps) ad se fugientes in tutelam suam recipere, & ab offensione hostili liberare ex humanitate. Undè patet, talem tutelam non venire ex hostium persona, sed ex jure ejus, qui ibi imperium habet, *Grot. l. 3. de J. B. & P. c. 4. §. 8.* Cùm Civiles societates constituere potuerint, in eos, qui in aliquo sunt territorio, nihil per vim agi, nisi tentato judicio, *Bodin. l. 1.*

Ubi liceat prædari.

locus hostem non facit.



c. 6. Quapropter docet recta ratio, ut reverenter habeatur imperium in alieno territorio, neque adversus istud vi aliquid fiat.

XXVIII. Quis, & quæ, præda esse possunt *passivè*, pluribus expositum est: cum primis quoad personas dictum est *suprà*, §. 18. & *seqq.* nimirum personæ hostiles, v. g. *ipsi milites, & quæcunq; adversa reipublica partes sunt*, v. g. *Cives & alii.* Jam autem in disceptationem veniunt, qui nam sint, qui prædari queunt *activè*. Dicimus hîc, ex pari scil. colligendum esse, jus prædandi *activè* non solum competere militibus actu militantibus, & qui in expeditione sunt, & in castris consistentibus, sed toti populo, utpote cui bellum indicitur *l. 24. ff. de Captiv. & Postlim. l. 118. ff. de V. S.* sive ut compendio dicatur, *Hostis.* Cum verò hostis non tantum sint milites, sed omnes istius populi cui bellum indictum, partes, etiam omnibus istius populi partibus jus prædandi competet, etiam si in numerum militantium, aut matriculam non sint adscripti, ita ut quicquid etiam cives capiunt, id eorum fiat, quia etiam isti cives pro hoste habeantur, exemplo civium Samariæ *2. Reg. 7.* Accedit, quòd nusquam jus prædandi inter privilegia militum referatur, neq; ubi inter communes acquirendi modos refertur, *l. 5. ff. de A. R. D. §. 7. Item §. 17. Instit. de Rer. Divis.* Deinde, si verum est, res hostium nullius esse, certè illarum rerum occupatio ad solos milites restringi non potest, *contra l. 3. ff. de A. R. D.* quod enim nullius est, id ratione naturali primo occupanti conceditur.

Dubium. XXIX. Nec dimovemur ab hac nostra sententia, si quis nobis objiceret, quòd ille, qui prædari potest, debeat etiam habere posse *Peculium castrense*: quòd sanè non nisi militibus convenit, sicuti *Quasi Castrense Doctoribus & Advocatis, ac causarum Patronis.* Respondendum enim est, *peculium castrense* non solum illud esse, quod ex hoste in castris ad nos perve-

pervenit, sed omne etiam illud, quod occasione militiæ quæritur, prout dicitur *l. i. C. de Castrens. peculi. militum*. Nec *obstat*, quod ille, qui juramento militari devinctus non est, in exercitu non toleretur, prout dicitur *in der Reuterbestallung / Art. 25*. Etenim quod unusquisque in exercitu sine juramenti obligatione non toleretur, id non est ex inhabilitate ad prædandum, sed ex ratione disciplinæ militaris, ne ea, cum in numerum non sit relatus, detrectare possit imperium militare, & imperata defugere, turbetur, atque periculosa oboriatur exercitus confusio. *Reuterbestallung / art. d.* Huc itaque Sacramentum illud militare spectat, ut rectissime docet *Grot. l. 3. c. 18. §. 1.* & ex eo *Dn. D. Thomæ in Discursu suo de Occupatione Bellica*; ut ad pericula subeunda, ad exantlandos labores, & præstanda obsequia miles obstringatur sine exceptione; non ut idoneus fiat ad prædationem bellicam. Quod attinet dictum *Catonis, apud Cicer. l. i. de Officiis, pag. mihi. 99.* negantis jus esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste: Puto facile declinari, si dicamus, nullam esse consequentiam, *pugnare non-militi interdictum* est. Ergo etiam *non-miles, hostis tamen, prædam ab hoste milite capere non potest.* Contrarium colligimus *argt. l. 51. ff. de A. R. D.*

XXX. Porrò monet nos Poëta, dum canit:

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines.

ut videamus, an hosti concessum sit in infinitum, sive indefinite prædari? *Vid. Scipio Amirathus l. 17. Discurs. in Tacit. discurs. 9.* Rectè docet *Boxhorn l. 1. Polit. c. 12. §. 9.* tamdiu licere bello instare, donec ita attritæ sint hostis vires ac debellatæ, ut, etiam si velit, non possit nobis in posterum nocere. Quod sanè optimè fiet, si ipsi omnia nocendi instrumenta subducantur, aut interficiendo, aut spoliando & prædando: *vid. Neümajr de Pace, c. 6. n. 73. pag. 452.* nam rei-

Quantum
& quous-
que liceat
prædari.

publicæ interest, ut hostium suorum vires quocunq̄ue modo frangantur, minuantur, enerventur, uti supra jam à nobis ex *Gæddæo* dictum est, §. XI. Franguntur enim & enervantur maximè per spolia & emunctiones pecuniarum, everfionem prædiorum, animalium, civium, annonæ, & cæterarum facultatum, per ea, quæ *Leo Philosophus in Novell. sua* §2. docet. Siquidem nervi bellorum potissimum sunt homines fortes, animosi, sagaces, divitiæ, rerumque abundantia. Quoniam verò in Republica etiam hostili sunt, qui culpâ carent, dum non approbent ea, quæ vel Rex, vel aliqua Civitatis pars peccavit, propter ea, postmodum ab alio bello petitur; sanè iniq̄; illi puniuntur ab hoste, iiq̄; suis bonis malitiosè exuuntur.

Si prin-
ceps pec-
cat, an in-
de Subditi
ejus rectè
punian-
tur

XXXI. Sed ut status controversiæ rectè intelligatur, ponamus talem: *Est Princeps ab alio Principe ita offensus & lesus, ut satisfactionem justam aliter obtinere nequeat, quàm ut illum bello petat: queritur, an id salvâ conscientia fieri possit, cum hoc modo in bello, non solum ille, v. g. Princeps, qui alterum Principem offendit & ledit, puniatur, & ad satisfactionem adigatur immediatè, sed magis ledentis Principis subditi, qui, quoad hanc lesionem & offensionem innocentes sunt:* siquidem plerumque in bello subditorum bona rapiuntur, ædes & domus eorum destruuntur & comburuntur, cives & subditi cæduntur, uxores eorum violantur, liberi & infantes necantur, pecora abiguntur, atque ita ad summam paupertatem rediguntur.

rationes
negantes

XXXII. Dicendum itaque videtur, salvâ conscientia aut jure hostem non posse ita grassari in subditos innocentes, & factum Principis aut Magistratus sui improbantes, illique contradicentes: cum ita culpâ careant, utpotè, quæ non nisi voluntate & consensu contrahitur, id quod ita probari poterit: I. quia est contra jus divinum, immunem à culpâ,

culpâ, alterius culpæ causâ rebus suis spoliare, & vindictam exercere in nullius delicti reum. Anima enim, quæ peccavit, moriatur. Ob unius scelerati culpam nequaquam infontes plectendi sunt, & qui aliena invadunt, eos, à quibus nullâ injuriâ sunt provocati, infestantes, hi certè vesani & impii sunt, neq; quid jus ac fas sit, nōrunt, neq; iis curæ est, an DEUS maleficiis offendatur. *Vid. Perez. ad Codic. lib. 9. titul. 8. n. 16. 17. 18.* Alterius factum alteri obesse non debet, *l. 5. §. 5. ff. de oper. nov. nunci.* Cavendum ideò ne respectu nocentis innocens patiatur, *l. fin. in f. C. de his, qui latro. l. 3. ff. de Pæn.* Sancimus, inquit Imperatores, ibi esse pœnam, ubi & noxa est, *l. 22. C. de Pæn.* Peccata suos teneant auctores: nec ulterius progrediatur delictum, *l. d.* Justum est eorum esse pœnas, quorum sunt peccata; & nemo delicti immunis ob delictum alienum puniri potest.

— — — *Infontes culpa nocentum*

Non trahat: ex propriis justo sub judice factis

Premia, sed pœnas meritorum quisq; reportet.

Günther l. 5. Alterius temeritas alteri nocere non debet, *l. 13. ff. qui testam. fac. poss.* Iniquum est puniri pro alio, *l. 17. ff. de Jur. Patron.* Ex aliena malignitate alienum damnum emergere non debet, *l. fin. C. de Acquir. Possess.* Ex facto alieno quis onerari non debet, *l. 27. ff. de Procurat.* Peccato alterius nemo tenetur, *l. 6. C. Unde Vi.* Peccatum nocentis non nocet innocenti. Pœna non debet egredi delinquentem, *l. 22. C. de Pæn.* Pœna non excedit personam delinquentem, *l. quod verò ff. de LL.* Pœnæ tantum delinquentem ligare debent, *cap. 2. xi de his, quæ fiunt à majore parte Capituli.* Puniri nemo debet, si nullam admisit culpam, *cap. 23. de Reg. Jur. in 610.* Puniri debet inobediens, *§. his igitur. Authent. de Heret. & Falcid. ad L. Falcid. C.* Unius factum cœteris non debet esse damnosum, *l. si pariter. ff. de Liberal. causa.* Unus non debet gravari pro alio, *l. 2. C. de fund. rei privat.*

XXXIII. Huc etiam referendum est, quod *Franciscus à Victoria, de Jur. Belli. n. 56. ait*: Si Galli irruentes in terram Hispanorum jussu regis pagum incendissent, non ideò fas erit Hispanis integrum regnum Galliae occupare, sed solum, quatenus justitia & æquitas permittit Gallorum illam injuriam vindicare, adductis etiam belli expensis. &c. At *ò Galli!* quod vobis fieri non vultis, etiam aliis nolite facere: turpe namque doctori, cum culpa redarguit ipsum. Christianissimi vultis esse, cum sitis pessimi tyranni, ita ut etiam ipsa Ratio Belli vos excusare nequeat.

rationes
affirman-
tes.

XXXIV. Verum enim vero, hæc, quæ excessum pessimum sapiunt, rectè reprehenduntur, non tamen subditos Principis alium Principem offendentis, absolutè immunes à culpa, quo minus offendi, & bona eorum per modum prædæ auferri queant, reddunt. Etenim subditorum semper eadem præsumitur causa, eademque mens & animi sententia, quæ est Principis, & sic omnes Principem suum bello laceffitum defendere velle creduntur, nulla fiet injuria ejusmodi subditis, si eorum bona bello capiantur, & in ipsos quoque vindicta exerceatur, *affirmante Zieglero in not. ad Grot. l. 3. c. 13. n. 1.* Hinc nos dicimus, Principem injuriam talem vindicantem & subditos Principis offendentis invadentem non peccare in naturam justitiæ, quasi subditi illi ratione delicti Principis haberentur innocentis. Qui enim se vindicat adversus eos, à quibus offenditur, ille contra justitiam, aut etiam contra conscientiam civiliter non agit. Atqui Princeps offensus, qui contra Principis offendentis subditos se vindicat, vindicat se adversus eos, à quibus offensus est. E. contra justitiam non agit. Nec est quod excipias, offensionem à solo Principe dici, atque sic subditos excludi, eò, quòd factum Principis improbet, aut etiam contradicant. Etenim improbatio illa, & contradictio nihil
amplius

amplius operatur , quia quod in principio fuit voluntatis , postmodum factum est necessitatis , *l. f. C. ad SCrum Vellejan.* Et quod semel placuit , amplius displicere non potest , *cap. 21. de Reg. Jur. in 6to. l. 5. C. de Obligat. & Action.* Siquidem notum est , quòd aliquis ab aliquo offendi possit dupliciter , 1. *immediatè* , & ab ipsa persona . 2. *mediatè & interpretativè* , & per alium , v. g. sic si ego alicui talem concedo potestatem , ut quicquid acturus sit , idem sit , ac si à me esset actum : ille postmodum vel bona , vel mala si agit , omnia illa mihi quoque rectè imputabuntur , utpote cujus ego principium actionis fui , *argt. cap. 72. de Reg. Jur. in 6to. l. 5. §. 3. ff. de Administr. Tut.*

XXXV. Jam licet Princeps *in propria persona & solus* alium Principem offendat , rectè tamen habetur , ac si totus populus fecisset , utpote à quo omnem suam potestatem accepit , uti rectè colligitur ex *l. 1. ff. de Constitut. Princip.* ubi dicitur : Quòd Populus omne suum imperium *El & in EUM* (Principem , sive Magistratum) contulerit : unde quicquid illi placuit , legis vigorem habet . Ergò , quantum ad hoc , populus & Princeps unum & idem sunt , vel pro una persona habentur . Cùm itaque voluntas Principis sit quoque voluntas populi , quis dicet , populum respectu istius offensionis immunem esse ? cùm juxta *Horatium in Epistol. Quicquid delirant Reges , plebuntur Achivi.* Ubi rectè indicatur , quod factum sive voluntas principis , sive bona sit , sive mala sit , nihilominus tamen eandem quoque populi esse , licet solummodò *interpretativè* , sive *moraliter* .

XXXVI. Et quoniam Populus suam potestatem & imperiù in Principem contulit , & quidem *non cumulativè* , sed quæ opinio plurimorum est , *Abdicativè* , vid. *D. Dn. Ludovell. ad §. 6. Instit. de Jur. N. G. & C. in comment.* populus non potest se excusare à culpâ à Principe commissâ (quod tamen

Quomodo populus in Principem contulerit suam potestatem.

D

forfan

forfan aliter se habet in imperio Electivo Conditionato,)
quasi ipse non consensisset, aut alterum offendisset, sed solus
Princeps. Siquidem hoc modo Princeps totum Populum
repræsentat, ex qua rectè interpretativè populo attribuitur,
etiam causaliter, quod à Principe est commissum.

XXXVII. Sic docet etiam *Joh. Fridericus Hornius, in sua
Civitate Architectonica, l. 2. c. 8.* Insolitum non esse, ut subditi
pendant pœnas ejus crudelitatis atque injustitiæ, quâ Prin-
cipes deliquerunt. — Belligerante Domino, subditorum
corpora ferro, bona rapinæ obnoxia fiunt. — Sustinent
belli incommoda subditi, quia subditorum & Principis una
voluntas præsumitur, ob hanc inferunt & accipiunt cla-
dem, quam belli jus permittit. *Hæc Hornius.* Ex quo funda-
mento, Hannonis subditi & socii à *Davide* occiduntur in
bello, septingenti currus, & quadraginta millia equitum, 2.
Samuel. c. 10. Vid. nostra disputatio de Bello, §. 43. usq. ad finem.
Item disp. nostra de Fœderib. §. 50.

Responsio
ad Leges
suprà §. 32.
allegatas.

XXXIIX. Quibus ita positis, facilè responderi poterit
ad leges ex Jure suprà §. 32. adductas, nimirum eas omnes in-
telligendas esse *de privatis, eorumq. pœnis*, non verò de iis,
quæ contingunt inter Principes & Respublicas, ubi non
datur aliquis judex superior, coram quo causa agitari & ju-
dicari possit, cum ipsi sint Summi Principes, indeque sibi-
met ipsis jus dicentes, non alio medio, quàm bello, cum-
primis, si alteruter alteri satisfacere nolit. Quare non li-
cet à causa, aut re privatâ argumentari ad publica Imperia,
sive Regna. Et sic hoc quoque licitum erit, innocentes
hostium subditos, seu confœderatos, bonis & rebus exspo-
liare, quibus conatus fortior & validior redditur contra
eum, qui justè bellum gerit. Unde *Victor. in Relect. de Bello*
n. 34. docet, quòd liceat accipere pecunias innocentum, &
com-

comburere & corrumpere frumenta, & occidere equos, si ita opus sit ad debilitandas hostium vires, & expediat ad facilitandam pacis compositionem. Es ist in dergleichen Kriegs-fällen zulässig das Getraid auf dem Feld in den Brand zu stecken / oder sonst dergestalt zu verhergen / damit es dem Feind nicht zu nutz komme / und also derselbe durch Abschneidung aller Mittel desto balder überwunden / oder zu einen dienlichen Friedenshandlung gezwungen werde. *Vid. Burger in Observat. Militar. Cent. 1. Observ. 23.* Notandum tamen hinc, ne hæc videantur obstare iis, quæ *suprà* §. 17. à nobis dicta sunt: ubi tamen ea, quæ hinc adducuntur, intelligenda sunt de vastatione harum rerum, quæ permissu Superioris conceditur, ea autem, de qua §. 17. agitur, intelligenda est de vastatione militum gregariorum indistincta.

Quæ, & quomodo aliqua de vastare ab hoste liceat.

XXXIX. In bello prædari licere, satis multis hætenus à nobis probatum est. Inquirendum jam, cui illa præda acquiratur? Expedita responsio est *ex* §. 17. *Instit. de Rer. Divis. & l. 5. in f. ff. de A. R. D.* Quæ ex hostibus capimus, jure Gentium *statim nostra* fiunt. Non itaque hinc distinguendum est inter res mobiles & immobiles: siquidem in genere dicitur: *Quæcumq; ex hostibus capimus; nullâ factâ rerum distinctione*: ubi itaque lex non distinguit, nec nostrum est distinguere, *argt. l. 8. ff. de Publician. in rem actione.*

Præda quibus cedat.

XL. Quoniam autem illi, qui ex hostibus aliquid capiunt, dupliciter considerari possunt, 1. vel ut singuli, 2. vel ut Universi: sciendum, quodcunque ex hostibus nondum, scil. devictis, & dum hostes sunt, capitur, id statim Singulorum occupantium fieri, §. 17. *Instit. & l. 5. ff. de A. R. D.* quod verò ex hostibus devictis & expulsis, id non amplius ex hostibus capitur, ut quod jam desit esse hostium, sed potius ex Republica, cujus potestati & imperio id totum devictis hostibus subjectum est.

Res mobili-
lis cedit
singulis.

Res im-
mobilis,
Reipubli-
ca.

XLI. Aliàs certum est, magnam differentiam esse inter res mobiles & immobiles : quæ quidem utræque capientium fiunt, interim tamen *Mobiles* fiunt singulorum, exceptis tormentis majoribus, pulvere tormentario, & reliquo apparatu; item re frumentariâ in ædibus publicis repertâ: *immobiles* verò Reipublicæ, sive Principis belligerantis & capientis. Nec ratione suâ caret, quòd res mobiles singulares singulorum capientium fiant, quia conveniens est ac secundum naturam, ut quem sequuntur incommoda, comoda quoque cujusque rei sequantur, l. 10. ff. de Reg. Jur. item §. 3. Instis. de Empt. & Vendit. l. 1. §. 9. C. de Rei Uxor. acti- on. Cap. 1. l. 3. Clementinar. de Censibus. Quapropter cum res hostiles occupans grande subeat vitæ periculum, vigilias sustineat, inedia & alia sufferat, consequens est, ut & eo, quod labore suo paravit, commodo fruatur: quibus non adversantur, quæ supra §. 12. docuimus. De immobilibus alia ratio est: illæ enim non ita sunt in præda, ut singulis cedere queant: siquidem agri non à singulis, sed ab universis tantum occupantur, indeque meritò Principi aut Reipublicæ cedunt, cujus auspiciis universi pugnant, qui que adeò per illos, ut administratos possessiones occupare censentur. Potest & hæc addi ratio: quòd res mobiles non spectent ad amplificationem & confirmationem finium, ad constituendum terræ principatum: Immobiles verò amplificent, confirmant, finiant limites, ac fines sint imperiorum. Cum jam bella pro amplificandis, tuendis ac conservandis imperii finibus plerumque adversus hostes publicè suscipiantur, res immobiles meritò non cuique occupanti, sed juri publico, & populi ærario ac imperio cedunt. Reinhard. König. Vid. Brautlacht in Consultationibus illustribus, Consult. 6. 7. 8.

XLII. Observandum hîc est, quando §. 17. *Instit. de Rer. Divis.* dicitur, quæ ex hostibus capimus, *STATIM* nostra fieri; illud statim *Grotium* l. 3. c. 6. §. 3. accipere cum conditione aliqua, nimirum cum conditione continuationis, vel continuandæ eousque possessionis, donec res persecutionem effugerit, & hoc ex l. 5. §. 1. ff. *de Captiv. & Postlim. Dn. D. Ziegler ad locum Grotii* putat, rationem istius rei non esse defumendam ex jure Romanorum, sed decisionem hujus controversiæ petendam esse ex jure Gentium, quod jus Gentium ipsum jus Romanorum ita proponit, ut statim res captæ capientium factæ censeantur. Quod itaque statim fit, id omnem excludit temporis tractum, continuationem, aut alium actum novum, sive ut *Grotius* loquitur, continuationem possessionis, usque dum in præsidia perducta res fuerit.

XLIII. *Dn. D. Thome* in *Discursu suo de Occupatione Bellica* distinguit inter *occupationem Inchoatam*, & *Consummatam*. *Inchoata*, ubi res prehensa tantum est, propter instabilem adhuc possessionem debilior est, & ad acquirendum dominium imbecillior, de qua intelligendam esse, l. 1. §. 1. *de Acquir. Possess.* & l. 5. §. fin. *item* l. 44. ff. *de A. R. D.* Consummata, tum demum dicitur, cum inter præsidia hostium res est perducta, l. 5. §. 1. *de Captiv.* vel intra hostium fines, si ibi capiendus esse incipiat, l. 19. §. 3. l. fin. *de Captiv.* Universitas autem, ut Universitas tum videbitur occupata, cum *homagium* occupanti præstiterit, aut aliud signum subjectionis ediderit, *argt. Reuterbestallung / art. 96. Item Schwedisch Kriegsrecht / art. 86. Verba art. 96. ita habent: Da auch Städte / Schlösser / Flecken / Land und Leut erobert würden / sollen dieselbe sammt den darzugehörigen Geschütz / Munition / und den Vorrath von proviant, in alle weg uns und dem H. Reich zustehen / folgen und bleiben.* — Aber alle andere Haab / so

noch Kriegsgebrauch preiß ist / soll ihnen (militibus scilicet)
bleiben. *Et art. 62.* Auf die teutsche Knecht / was ein jeder in
Schlachten / stürmen oder sonst den Feinden abgewinnet /
soll einen jeden nach Kriegsrecht und Ordnung bleiben ; Aber
mit dem Geschütz / Pulver / Munition / Vorrath der proviant,
und andern was zur Erhaltung des Fleckens gehöret / auch mit
den Gefangenen / was deren von Kriegsherrn / Fürsten / oder
Feldobersten wären / sollen wir oder unser Feldobersten / oder
Befelchshaber den sie auch überantwortet sollen werden / zu
handlen haben ; Doch soll den jenigen / so sie gefangen / billige
Ergözung und Verehrung dargegen beschehen.

XLIV. Sunt tamen, qui dubitant adhuc, quòd milites
res mobiles, quas in bello capiunt, suas faciant, quia clarè
dicitur, *l. penult. ad L. Jul. peculat.* eum, qui prædam ab hosti-
bus captam surripuit, lege peculatûs teneri, & in quadru-
plum condemnari. Sicut etiam dicitur, *l. penult. §. 1. C. de*
Donation. quòd donationes rerum mobilium, vel sese mo-
ventium, quas viri gloriosissimi magistri militum fortissi-
mis præstant militibus, tam ex sua substantia, quàm ex
spoliis hostium, sive in ipsa belli occupatione, sive in qui-
buscumque locis degere noscuntur, valeant. Si verò præ-
da rei mobilis per occupationem mea fit, quomodo possum
in propriis peculatum committere ? Et si illa præda mea
est, quid opus erit donatione ? nam quod meum est, ampli-
us meum fieri non potest, *§. 14. Instit. de Action. §. 10. Instit.*
de Legat. Verùm facilis est responsio, nimirum, capitur ali-
quid vel bello adhuc durante, & nondum devictis hostibus;
aut hostibus jam devictis. Quod bello adhuc durante, &
per excursiones ab hostibus diripitur, fit capientium: quod
verò capitur jam devictis hostibus, id omne in jus & pote-
statem Imperatoris, sive Ducis exercitûs venit, & sic fit pu-
blicum, in quo propriè peculatus committitur, si quis ex
militi-

militibus post victoriam & exitum belli de rebus istis quid furripiat. Et ita breviter dicendum, legem illam loqui de prædâ ab hostibus captâ, *surreptâ*. Quod Donationem attinget, interpretamur illam de propriis propriâ manu ac familia ducis acquisitis spoliis, de pecunia ex agrorum publicatione confectâ, itemque de ea spoliis parte, quæ & specialiter erat excepta, & quæ illi ex cadaverum spoliatione debebatur. Et sic Magister militum non ea donat, quæ ipse miles, cui donat, manu suâ acquisivit & cepit, sed quæ ipse, tanquam dux & magister belli habet. *Vid. Ungepaar, Exercit. 5. q. 5. Gaddaus ad l. 3. ff. de Verb. Signif.*

XLV. *Dicis*: nondum sufficere ad prædandi jus, quæ dicta sunt, cum nihilominus actus prædandi sit contra jus commune: siquidem ea, quæ milites per modum prædæ aliis auferunt, aliorum sunt: quæ verò alicujus sunt, non occupantur, quia eorum possessio vacua non est. Id igitur naturali ratione demum occupanti cedit, quod antea nullius, §. 12. *Instit. de Divis. Rer.* At res hostium non sunt nullius, ideò quia sunt hostium, indeque res, quæ alicujus sunt, non nisi volente & tradente domino nostræ fiunt, quæ voluntas & traditio in præda abest: & sola vis & metus potius locum habet, quàm voluntas, proinde etiam ex hoc capite prædandi jus nullum erit: quod patere videtur *ex titul. ff. de Vi, aut clam. Item, quod metûs causâ gestum est.*

XLVI. An autem sequenti modo respondendum sit, aliis dijudicandum relinquo; si scilicet dicamus: *Bellum publicum multa habere peculiaria in jure externo posita.* Sicuti alia multa, quantumvis vitio non carentia jure Gentium pro justis habentur, ita & metus, visque, quæ tali bello utrinque infertur. Hinc metûs exceptio ad bellum solenne non pertinet, *Vid. Burger in Observat. Militarib. cent. 1. Observat. 21.* Veldici potest: Definitionem Occupationis, quam

quam *Sutholt, dissert. 4. §. 21.* dicit, esse rei, quæ nullius est, animo domini facta apprehensio, aut justo angustiorem esse, quod §. 37. videtur innui, aut hanc bellicam occupationem, sibi hoc nomen in specie vindicare, ut dicatur: Occupatio bellica est rerum aut personarum hostilium animo hostili in bello facta apprehensio.

XLVII. Liceat hîc obiter observare, quod aliàs communiter à prudentibus inculcari solet, Ducem non debere suis militibus concedere intempestivè, & ultra justum incumbere prædæ, *vid. nostra disp. de Victoria, §. 41. 42.* intelligendum nimirum esse, I. si bellum nondum penitus sit confectum, sed victoria adhuc ulteriùs prosequenda, donec ad interuersionem hostis sit redactus, ita ut non tantum sit in fuga, sed etiam novas vires non possit colligere, atque sic redire & reverti ad pugnam. II. debet intelligi de præda particulari & re mobili, quæ occupanti militi, ut singulis cedit, non verò de re immobili, v. g. urbe, provincia aut regno, quod bello meum facere conor. Hoc enim modo Princeps milites suos adigere debet, ne resiliant aut desinant prædari, donec ultimam prædam regnum videlicet, propter quod bellum susceptum, nacti sint. Aliàs si non ita intelligeretur, immeritò Hannibal fuisset reprehensus ab Hamilcare, quòd quidem vincere scivisset, victoriâ tamen uti nescivisset. Siquidem mora ejus diei satis creditur salutis fuisse urbi atque imperio, *teste Liv. l. 22. c. 51.* Nec vanè: si enim urbi percussæ supervenisset, facilè eam occupare potuisset. Indè rectè dicit *Florus, l. 2. c. 6.* Dubium deindè non erat, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quantumque intra diem epulari Hannibal in Capitolio potuerit, si Hannibal quemadmodum sciret vincere, sic uti victoriâ scivisset. *Vid. Zevcotius ad hunc locum, pag. mihi 263.* Serio itaque victoriâ utendum, urgendi que successus & trepidis instandum.

Rectius

Rectius sanè Hannibal fecisset, si victis, spoliatisque ad Cannas Romanis institisset, quàm colligendis annulis Romanorum Carthaginem missis operam dando. Roma, Roma vera præda fuisset, quam captum Hannibal venerat. Si itaque aliquis omninò prædæ velit inhiare, inhiet principali: reliquæ enim tam res, quàm loca minoris momenti suâ sponte sequentur, si principalis obtenta fuerit præda. Quamdiu in rebus publicis maximè præcipua urbs salva est; licet minora fortè oppida occupentur, tantum abest, ut de salute conclamatum sit, ut non rarò etiam illa, quæ perdita sunt, iterum facilè recuperentur. Ideò prudentiores, quibus cum Republica aliqua bellum est, statim urbem principem petunt, exemplo Caroli. V. Senenses & Florentinos oppugnantis. Sic Johannes Andegavensis rectissimè culpatur, quòd, dum ingenti prælio victor, minora prius oppida expugnare maluerit, quàm regni caput petere: nam hoc modo victus antè & penè profligatus Ferdinandus respiravit, & cum novis iterum viribus collectum exercitum firmasset, Gallos non vicit tantum, sed etiam penitus regno ejecit.

XLIIIX. At nec hoc suâ utilitate, multò minus laude suâ destituetur, si victor à prædâ penitus abstineat, aut parcissimè facultatem prædandi concedat, I. quia milites suo salario debent esse contenti, & neminem concutere, *Luc. 3. 14. & 15. vid. supra §. 12.* II. quia abstinere à devictorum bonis, victori parit devictorum amorem, & clementiæ sibi acquirit gloriam. Ita Quinctius milites enixè hortatus est, ut in transitu velut suæ jam ditionis ac concessæ haberent rationem. Imitatus hoc est Alexander apud *Justinum l. XI. c. 6. §. 1.* milites suos à populatione Asiæ prohibens, mandando: Parcerent suis rebus, nec perdenda ea, quæ possessuri venerint. *Vid. Liv. l. 32. c. 33. n. XI.* Hujus suæ mo-

Laudabiliter Victor ab omni præda abstinet.

derationis, Quintius brevi post fructum cepit: nam ut Thes-
 saliam attigerunt, defecerunt ad eum urbes. Alii inter Ther-
 mopylas incolentes Græci optabant & animo gestienti de-
 siderabant Quintium. Achæi renunciato Philippo fœde-
 re societatem contra eum cum Romanis decreverunt.
 Opuntii spretis Ætolis, quamvis summa ope id temporis
 juvarent Romanos, illorumque urbem recipere & custodi-
 re cuperent, Quintium acciverunt, atque in ejus fidem &
 ditionem se tradiderunt. *Vid. Plutarch. in Tit. Quintio Fla-
 minio, pag. mihi. 226.* Quam gloriam, imò utilitatem nun-
 quam consecutus esset, si ubique devictos omnibus suis bo-
 nis exuisset, & prædæ petulanti militi exposuisset. Uti-
 nam hoc observarent, & Flamini exemplum imitarentur
 ferocissimi & crudelissimi nostri temporis milites, majo-
 rem sanè devictorum in se benevolentiam, & apud exteros
 gloriam sentirent, quam hodiè ex sua tyrannide in-
 miserrimos devictos, & quidem non tam per fortitudinem,
 & perfidiam prodicionum, per infernalem Plutum indu-
 ctam, obtinent & gaudent. Ignorantes, virtuti, domi-
 nante pecuniâ, locum non esse, *teste Andrea Brunnero in
 Annal. Bojcis, part. 3. l. XI. pag. mihi. 193.* Aurum enim ærugo
 virtutis esse solet, *idem ibidem, pag. 230.*

Stoliditas
 eorum,
 qui indi-
 stinctè ca-
 pta deva-
 stant.

XLIX. Cur itaque tam stolidi sunt & Duces & milites, si
 in eorum potestatem urbs aut ager aliquis, ceu præda venit,
 statim illos circumcirca vastare conentur? & ipsis summè
 volupe fit, agros, campos, vineas, hortos & arbores depo-
 pulari; intrare vicos, pagos, oppida, tuguria & cauponas
 & consumere invito hospite, in momento quasi, quæ mul-
 torum annorum diligentia in penuaria & cellas fuerunt
 congesta. Neque in hac violentia subsistunt, sed longè ul-
 terius suâ crudelitate quoque procedunt, villis; tuguriis &
 domibus flammam subjiciunt, atque ita pro facibus accen-
 sis

sis quasi utuntur. At mores tales quis dicet decere Ducem
militarem virum humanum & honestum? Jubent quidem
militaria præcepta, metuentem hostes à tergo perdere igne,
ferroque omnes undique agros, frumenta, & circumjacentes vineas,
nequid commeatus inveniant insequentes, atque adeo hujus penuriâ
vehementia illorum reprimatur: si enim periculum est, ne, quæ
integra relinquuntur, hostibus emolumentum, expeditioni autem
moram allatura sint, satius est, illis talia præripere, interveniente
tamen maximâ prudentiâ & humanitate. *vid. supra §. 38*

Devastatio
quarun-
dam rerum
quomodo
concessa?

L. Sed nec hoc sicco pede prætereundum, quòd in bello,
respectu prædæ dentur vicissitudines, ita quod jam miles hostis
mei de rebus meis quædam in prædam acceperit; mox fieri possit,
ut milites meæ partis, itidem res istas meas, quas miles hostis
mei ut prædam fecit, recipiant, easque in meam civitatem iterum
inferant. Ita dicitur *Esa. 33, 1. Væ! qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis.* *Queritur jam, res istæ Receptæ, ita enim propriè vocantur, cui nam debeantur, an miles partis meæ, suas, ceu prædam faciat, an pristino domino restitui debeant? Vid. Brautlacht in consultation. illustrib. consult. 6. Ratio dubitandi est, quia quodcunque reversum fuerit, sive recuperatum sit, quocunque modo etiam id fiat, sive justè, sive injustè, tamen pristinum jus recipit, l. 2. §. 1. l. 13. in pr. ff. de Postlim. Potissima autem controversia est de rebus mobilibus receptis; nam immobiles ab hostium manu ereptæ, ad priores Dominos, in vè pristinum statum cum usufructu redeunt, non obstante præscriptione, l. 26. ff. Quib. modis usufruct. amitt. & §. 5. Instit. Quib. modis jus Patr. Potestat. solvatur. Vid. Henniges de Potestate Summæ Potestatis in Sacra, §. 41. c. 5. pag. 260.*



Quæ res
etiam in
præda ju-
re postli-
minii red-
dendæ?

LI. Dicimus itaque res mobiles, quæ sunt juris postlimi-
nii capaces (incapaces enim, quarum mentio fit *in l. 2. §. 2.*
l. 3. & l. 12. §. 4. de Capt. & Postlim.) à nostro milite receptas
ad pristinum dominium vel statim reverti, *l. 12. C. de Post-*
lim. l. 19. §. 5. l. 20. §. 1. ff. de Captiv. §. 5. Instit. Quibus modis
Patr. Potest. adeò, ut ne pretium quidem earum, siue in con-
tinenti, siue ex intervallo recuperatæ sint, recuperantibus,
etiam stipendium à Republica non habentibus, v. g. volun-
tarii, *die Frenreuter* debeatur, *argt. nov. Pragmat. Sanct. Ju-*
stiniani, c. 2. cap. 4. cap. 6. & cap. 13. Vid. Burger Cent. 1. Obser-
vat. 55.

An miles
res meas
recupe-
rans, mihi
reddere te-
neatur?

LII. Subsistendum hîc parumper erit, cùm interpretes
hîc inter se non conveniant. Nam I. non concedunt, ali-
quid recipi jure ex intervallo, *l. 3. §. 9. ff. de Vi & Vi armata.*
Deindè dicunt, ablata ab hostibus jure in alios transferri,
nec ab antiquis dominis absque pretio vindicari posse, ces-
sante nimirum causâ vendicationis, quæ est dominium, ut
proinde *ex. l. 2. C. de Furt. & l. 23. C. de Rei Vindicat. l. 16. C. de*
Eviçt. ubi res furtivæ Domino vero absque pretii refusione
restituendæ sunt, nullum peti possit contra Postliminium,
argumentum, quia in furto dominium manet, *l. 43. §. XI. ff.*
de Furt. in Præda non manet, quia hoc modo dicitur res nul-
lius esse. *Vid. Carpzov. in Jurisprud. Forensi, part. 4. Constitut.*
35. definit. 8. & 9. & 10. Burger Cent. 1. Observat. 54.

& quidem
sunt pretio

LIII. Hoc quidem puto: negandum non esse, talem mi-
litem res meas recuperantem, laboris atq; periculi ob recu-
perationem suscepti, remunerationem jure exigere posse,
argt. l. 4. §. 1. ff. de Leg. Rhodia de Factu. Licet enim militibus
in hunc usum conscriptis stipendia pro laboribus, quos su-
stinent, persolvantur: quo ipso, si cum iis strictè agi velit,
non habent, quæ ultra laborum præmia ab iis, quibus mi-
litant, exigant; *vid. supra §. 12.* nihilominus tamen ex re
Princi-

Principis militantis videbatur, ut majus operarum suarum lucrum, quam quod solo stipendio absolvitur, milites caperent: Et hoc ex illa causa, ut alacriores ad subeunda cum hostibus certamina spe prædæ potiundæ redderentur.

LIV. Potest ulterius non ineleganter *queri*: Cum hostes in cursione cepissent cujusdam coloni equos & boves, eosq; abduxissent, milites quidem contrariæ partis illos continuo alacriter ad locum usque illum, quo equi abducti erant, persecuti sunt, quibus in fugam versis, equos & boves reduxerunt, equi verò frenis & vinculis soluti, naturâ sagaces domicili, manus militum evaserunt, rectaque ad pristinum stabulum reversi sint, postmodum milites adeunt Colonum, equos istos ut suos jure belli vindicant, contra excipiebat Colonus, tametsi eos ab hostibus eripuissent, quia tamen manus eorum evaserant, & domum suam, naturâ duce, redierant, eos ut antea jure postliminii suos esse: quæ pars hîc in jure magis fundata sit? Ego puto, *inquit Speidelinus in Speculo Juridico-Practico, verbo Beut/Colonus*, cum jus postliminii fingat ea, quæ ab hostibus capta fuerunt, & postea ad pristinum limen reversa, neutiquam capta fuisse, *l. 5. l. 24. ff. de Capt. & postlim. revers. §. 17. Instit. de Rer. Divis. Hac Speidelius.*

Quæstio
similis.

LV. Suprà diximus, non omne captum ab hostibus, sive à milite, prædam esse: quod ita intelligendum esse videtur, ut ablata à militibus præfidiariis capientium haud fiant, sed domino suo, ubicunque reperiuntur, absque ullius pretii refusione sint restituenda, quia hi, cum patriæ defensores esse debeant, si in depopulatores degenerent, hostes propriè non sunt, sed potius prædones & latrones. Id quod disertè probatur per sanctionem Imperialem *in der Reutersbestallung / art. 93. Anno 1570. zu Speur aufgericht. Item Subs knechtsbestallung / art. 21.* ubi tanquam raptores puniri jubentur,

Miles præ-
fidiarius
sibi non
facit res,
mibi allat-
tas, suas.

Idem di-
cendum
de milite
in Stativis
& hyber-
nis com-
morante.

bentur, qui bona mobilia in viis publicis, aut in urbibus & pagis ausu temerario subditis & incolis, vel per rapinam, vel clam surripiunt. *Vid. Carpzov. in Jurisprud. Forensi, part. 4. Constitut. 35. definit. 10. item Burger Cent. 1. Observat. 56.* Idem obtinet de illis militibus, qui in Stativis & Hybernis commorantur: sive sint partis adversæ, sive partis amicæ; dum enim in hybernis vivunt, non recepti sunt ut hostes, siquidem hosti meo, ut hosti, alimenta, quæ hodiè vocant *Servis*/non debeo, sicuti illis, qui in hybernis vivunt: si enim tum ut hostes essent, omnia subditorum bona illorum esset, quod non conceditur.

Præda Ma-
rina ut se
habeat?

LVI. Nascitur jam alia *questio*: sæpius dictum est, res mobiles occupanti cedere, exceptis solummodò aliquibus, de quibus §. 40. dictum: quoniam verò talis præda mobilis duplex esse potest, nimirum vel terrestris, vel Marina, *quæritur*, cum navis sit res mobilis, utpotè quæ in commercio, & usibus humanis, dominioque nostro subjici potest, l. 83 §. 5. *vers. nam etsi navem, ff. de Verbor. Obligat.* cui navis in bello acquiratur? Puto: idem dicendum de navi tota, quod dictum fuit de iis rebus, quæ à præda singulis scil. cedente, nimirum ipsam navim, & in ea instrumenta bellica, excipi: res verò reliquas mobiles, quæ in navi reperiuntur, singulis occupantibus concedi. Ordines confœderatarum provinciarum, anno 1632. publicato edicto, ei, qui navem ab hostibus occupatam recuperat, ejusdem navis, & bonorum, quæ in ea sunt, bessim indistinctè addixerunt. Et sicuti non statim omnia, quæ in hostico reperiiebantur, pro re hostili debebant haberi, uti suprâ docuimus: ita non statim in bello marino omnia, quæ in navi hostili reperiuntur, pro præda, aut re hostili æstimari debent. Vulgò quidem traditur, si navis sit obnoxia, bona etiam obnoxia haberi. At *Grotius* dicit, quod dici solet; hostiles censeris res, res in hostium, navi-

navibus repertas non ita accipi oportere, quasi sit certa Gentium Lex, sed ut præsumptionem quandam inducat, quæ tamen validis in contrarium probationibus elidi possit: Atque ita in Hollandia, anno 1338. flagranti cum Hanseaticis bello, frequenti Senatu adjudicatum fuisse, & ex judicato in legem transiisse *l. 3. de J. B. & P. c. 1. in not. ad §. 1. pag. mihi. 437.* Quid verò, si naves Amicorum inimicorum bona deferant, num naves Amicorum prædæ quoque cedant? Cum Belgii mercatores, Regi Hispano adhærentes, merces in Hispaniam, in Anglorum navibus clandestinè transmitterent, Zelandiæ incolæ, qui eos hostili odio prosequerentur, indignè ferentes, naves quasdam Anglorum id factitantes ceperunt, & à judicibus Admiralitatis pro præda legitima adjudicari obtinuerunt. De quo Angli querentes, Zelandorum naves in portu Angliæ appulsas, detineri curârunt, & præfectos pro reparatione incarcerationi. Principe verò Auriaco Reginam demulcente, concordatum est, ut naves & personæ captæ utrinque restituerentur. Pro sententia judicium facere videtur: quòd navis in commissum incidit de jure Civili, in qua sciente domino merces illicitæ deferuntur. Et Edictum Gallicum, quò ordinatum est, ut Amicorum naves, ablatis tantùm mercibus (nisi prohibitas deferant) dimittantur: & per consulum maris, quo Mediterranei jus continetur, qui in amicorum navi hostium bona deprehendit, pro eo itineris quod navis præstitit, nauticum solvereteneatur.

LVII. De Divisione prædæ tandem etiam aliquid dicendum venit: siquidem præda ratione acquisitionis apud diversas gentes non semper uniformiter se habuit, sed apud has ita, apud alias aliter. *Bart. ad l. si quid bello. 28. ff. de Captiv.* affirmat, prædam esse afferendam ad Ducem, ut inter pugnantes pro cujusque meritis dividatur, consonat *can. 10.*

distinct.

Quomodo Præda sit dividenda?

distinct. 1. Intelligendum verò id est, ubi ea viget consuetudo. In regno Castellæ præsertim *part. 2. tit. 26.* variæ statutæ sunt leges circa modum prædæ dividendæ, & inter alia, quinta pars Regi debetur. Licet autem hodiè quædam illorum ferventur in locis Africæ, quando Hispani prædas in Mauros exercent; in exercitibus tamen illa non servantur. Sunt etiam in variis provinciis variæ leges constitutæ, quoniam pacto præda sit dividenda. Audio in Lusitanæ regno etiam rationem dividendi prædas constitutam esse in India, aliam in Africa, & aliam in aliis locis. Illud in genere dici potest, ejusmodi jura varia, inconstantiaque esse diversis in locis, meliusque illa scire milites ipsos, quam nos, nec non in quibus eventibus vim inter eos habeant, & in quibus non. Illud possumus affirmare, in eventibus, in quibus leges illæ vim habent, si quid milites contra earum, legum aut consuetudinum præscriptum usum usurpent, teneri restituere aliis portiones, quas ex præda illa juxta illas leges erant accepturi. Quando autem nulla est particularis lex, nec consuetudo, aut licitè fit, in aliquo tamen eventu cessat, tunc juri Gentium statur, ut quod quisque miles justo bello capit, suum id faciat. *Hæc Ludovicus Molina tom. 1. de Just. & Jur. tract. 2. disp. 117. n. 5. pag. mihi. 193.* Nostro & moderno tempore, prædas si quas capiunt, plerumque sibimet ipsis retinent milites; interdum tamen cum Officialibus, præsertim ab eis ad excursions qui missi sunt, participare tenentur. Apud Hebræos dimidia prædæ pars concedebatur militibus; reliquum quod erat, populo: debilibus quoque, orphanis, viduis ac senibus parte spoliolorum divisâ, *Numer. 31, 27. & seqq. 2. Maccabe. 8, 28. & 30.* Quid quod ipse Deus jusserit prædam dividere, *Deuter. c. 20, 14. & Josua c. 8, 2. & 27.*

L VIII. Neque hîc subsistere aliqui ex Gentibus, sed
etiam

etiam partem prædæ Diis suis assignârunt, dum spolia Diis suis in templis suspenderunt. Unde *Plutarchus de M. Marcello, pag. mihi, 145.* dicit, ipsum opima spolia Jovi Fèretrio consecrâsse. Item Romulum Acroni; Cornelium Cossum, Volumnio Hetrusco; tertium & ultimum, Marcellum, ad nostram usque memoriâ, *inquit Plutarchus*: post Marcellum nemo. Illa victoriâ populo Romano, bellumque profligatum usque adeò fuit acceptum, ut Apollini Delphico domum crateram auream centum pondo gratiæ referendæ causâ mitterent, partemque magnam prædæ donaverint sociis civitatibus. *Livius l. 5. c. 23.* scribit: Camillum Apollini Pythio decimam partem prædæ, si Vejos caperet, vovisse. Adde *c. 25. dicti libri.* Plura de hac re legi poterunt *apud Rosinum l. 10. Antiquit. Romanar. c. 29. Item l. 2. c. 5. pag. mihi. 51. Tholosanum in Syntagm. Jur. l. 20. c. 4. n. 8. M. Anton. Petilium, l. 9. Exarchatûs, cap. 101.*

LIX. Quid verò faciunt hodierni nostri Duces & milites? tantum abest, ut ex acceptâ prædâ Deo, aut pauperibus aliquid consecrent, ut potius etiam rapiant ea, quæ Deo ab aliis consecrata sunt, adeò, ut non solum Templis & rebus Ecclesiasticis, verum etiam non Xenodochiis, orphanotrophiis, quin etiam ipsis mendicis vulgaribus non parcant: quo ipso impiè ostendunt, se ignorare, Unde Victoriâ dependeat, & ex Victoriâ, prædâ: cum nulla ratione gratum animum erga DEUM & suos deferendo aliquid ex prædâ ad usum sacrum & in honorem DEI declarent. Quid mirum itaque, si postmodum tam infeliciter pugnent? cum in acquirenda prædâ procedant non modo Christiano, sed tyrannicè, ut proh dolor! quotidiana experientia testatur. Imò, si quis ex illis quæreret, cur capta ex hostibus spolia aliqua non suspenderent Deo? sarcasticè responderent, quia à timidis capta sunt, talia autem neque cerni ab adolescentibus,

F

neque

De Præda
etiam ali-
quid DEO
consecran-
dum.

quod ho-
diernis
militibus
ad pala-
tum non
est.

neque Deo dedicari convenit. *Vid. Plutarch. in Apophthegmat. Lacon. pag. mihi. 331.*

An Praefectus arcis ignobilioris, si se acriter hosti opponat, quam tamen videt arcem se defendere diu non posse, morte puniendus?

LX. Hic sanè non immeritò tractari potest illud, quod hostium saevitiam valdè augere solet, si scilicet ignobilia oppida parum etiam munita integro exercitui acriter sese opponunt, & non statim ad primum adventum hostis sese dedunt? Cujus suae saevitiae speciosum praetextum adferunt; quòd hoc modo nunquam belli finis sperandus, ubi quævis tuguriola mœnibus leviter munitis cincta, vi tali essent expugnanda, quàm splendidissima castella munita occupari debent. Ex quo putant, justè gravius in tales animadverti, tum ratione personarum, tum rerum, quàm in temporariis fervientes, & citò oppidula tradentes, quia ita quoque æquiores obtinent ditionis conditiones, & vitæ suae consulunt, quàm ac si ultima quæque & extrema expectarent. Minæ solent quidem ad incutiendum terrorem obsessis & acerbissima denunciari, si se pertinacius defensuri sint. Verùm hoc modo etiam occupari possent loca munitissima, non armis, sed minis. Et minæ istæ fœminis potius, quàm viris metum incutient. *Vid. Boxhorn. in Polit. l. 1. c. 12. cum notis Georg. Hornii, pag. mihi. 204. & seq.*

Quæ oppositio pro pertinacia explicanda non est.

LXI. Nec ullius efficaciam erit, si prætenderint cum Jctis pertinaciam in resistendo, ex l. 4. ff. de Pæn. contumaciam, cumulare pœnam, dicentibus. Nec aliquid operabitur l. 1. §. 1. ff. Si is, qui testam. liber esse jussus, ubi dicitur: Impunitus esse non debet, qui spe qualicunque audacior factus est. Quam rationem secutus videtur Paulus Æmilius apud Livium l. 45. c. 27. qui ad Æniorum urbem hostiliter diripiendam L. Postumium misit, quòd pertinacius, quàm finitimæ Civitates, in armis fuerant. Henricus II. Rex Galliae, captis Bovinis, captivos nonnullos nimium obstinatos suspendi jussit, quia contra militarem disciplinam conati essent locum debilem,

bilem, quem nullo pacto tueri poterant contra regias copias propugnare. *Natalis Comes l. 8. Histor.* Et *Jovius* refert, quosdam deditos arbitrio victoris, quod loca imminuta pertinaciter retinere voluerint, turpi morte affectos. Nam si respiciamus, quod rectum, aut rectæ rationis est, fatendum erit, sævitiam illam ex communibus juris bellici regulis non probari. Satis frigida fuerit excusatio, *inquit Natalis Comes*, si factum jure Belli defendatur, quia obstinatè & contra militarem disciplinam conarentur locum debilem fervare adversus regias copias, quem nullo pacto possent tueri. Delicti certè & pœnæ nomina hîc adhiberi tanto minus possunt, quod ex adverso potius crimen est, si quis præsidium, fidemq; adeò & obsequium deserat; quæ nimis acriter tuendo nemo scelestus, vel certè hosti ad pœnam propriè dictam obnoxius efficitur. Neopolitanus respondit Belisario, Pertinax studium in aliquem, nemo judicet dignum supplicio. Et considerandum, quod non absque certissimo capitis periculo quis locum assignatum deserere, aut statione, vel præsidio decedere possit, *Livius l. 24.* Ex hac causa, qui armis victi se hostibus dedunt, non recuperant pristinum statum, *l. 17. ff. de Capt. & Postlim.* quia Romanis ignominiosum judicatum, fuit, haud violentiâ, sed per deditonem in hostium manus venire: cum insitum illorum militibus fuit hoc: *aut vincere, aut mori.* Quod propositum, omnia effugia prohibens, ipsos etiam pugnaces ac fortes reddit milites: id quod sibi quasi pro symbolo constituerunt cohortes militares *Norimbergensium* in signis suis majoribus literis expressum, cum Anno 1664. contra Turcam proficiscerentur: **MALLE CÆDI, QUAM CEDERE.** Addatur *Albericus Gentilis l. 2. de Jure Belli, c. 16. & Grot. l. 3. de J. B. & P. c. 4. §. 13.* Non ergò, quod jure Gentium licet, & illo excusatur, statim etiam rectum, aut rectæ rationis est.



An Indi-
ctio ad ju-
stum bel-
lum sit
necessa-
ria ?

LXII. Haecenus multis & abundè actum de Prædæ occu-
patione ; quoniam tamen adhuc sunt, qui ad justam prædæ
acquisitionem requirunt bellum justum ; illud dicunt, sup-
positis aliis justificis causis, quod *publicè Indictum est*, atque
hoc deducunt ex *l. 24. ff. de Capt. & Postlim. & l. 118. ff. de Verb. Signif.* Hostes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos publicè bel-
lum decrevimus : Cæteri latrones aut prædones sunt. Cum
Gustavus Adolphus Rex Sueciae, gloriosa memoria Germaniam,
cum exercitu invasisset, *Ferdinandus II. Imperator* datis ad eum
litteris scripsit : Vehementer se mirari, quòd tanto cum ex-
ercitu Romanum Imperium invasisset, & bello non indicto,
tantas turbas excitasset. Quibus respondit Rex, se non ar-
bitrari, fieri posse, ut præteriti temporis acta Imperatori tam
citò exciderent ; Ejus castrorum præfectum, absque ulla bel-
li denunciatione, integrum & potentem exercitum sub
signis Aquilarum in Borussiam duxisse, toti orbi cognitum
ac perspectum esse ; quare se perspicere non posse, quo præ-
textu denunciatio belli, quam ipse oblitus erat, à se, qui bel-
lum non intulit, sed repulit, postulareret ; sibi ve imputare que-
at, quòd contra omnium Gentium jura egerit : Neque
enim iura illa exigunt, ut vis injusta, quæ alteri infertur, per
feciales propulsetur, cum natura & res ipsa unicuique arma
ad salutem in hujusmodi casu expediendam concedat : Neq;
tamen belli denunciationem se prorsus omisisse, quin poti-
us sedulò cavisse, ne quis se præter opinionem armis op-
pressum fuisse, conqueri posset. Nam binis ad Electores li-
teris, & regni sui Consiliario ad Generalem ipsius misso, di-
fertè testatum fuisse, nisi illata sibi injuria sarciretur, se tan-
dem post æquissimas suas querelas, aliam viam, se suamque
dignitatem tuendi, initurum. *Vid. Arma Suecica. Item Nicolai
Burgoldensis ad Instrument. Pacis, part. 1. Discurs. 1. n. 85. pag. m. 99.*

LXIII.

LXIII. Jurisconsulti de hac controversia ita statuunt: Sicut citatio in foro civili, ita in bello denunciatio aliquando ex justa causa omitti potest, 1. cum suscipitur bellum ex causa necessariæ defensionis. 2. Cum his bellum inferitur, qui jam hostes habentur. 3. Cum contra Rebelles & defectores arma sumuntur, quia cum illis jus Gentium non observatur. Ita Campanis & Fidenatibus defectoribus Romani bellum non denunciârunt. 4. Feciales tradunt, non opus esse amicitiae renunciare, cum Legatis res repetentibus ea nec redditæ sunt, nec sit aliter satisfactum. Similiter apud Dionem, Cæsar differit, ad movendum Ariovisto bellum, absque Senatûs & populi decreto; Qui, ait, obstringere bella, ad quæ parari homines possint, & querelæ & indictiones præire, sed alia exoriri, quæ tanquam jusserit necessitas, non possunt in disceptationem adduci. *Vid. Alberic. Gentilis l. 2. c. 2.*


LXIV. Circa decisionem hujus de Denunciatione quæstionis, varia notari debent. 1. Non statim id juris Gentium esse, quod ab una aut altera gente inter se observatur, & constitutum est: illud enim est Jus Gentium, quod apud OMNES PERÆQUE custoditur. *Vid. nostra brevis commentatio de Legibus, §. 41.* 2. Denunciationem esse necessariam multi & rectè docent in bello *Offensivo*, non verò *Defensivo*; qui enim sui defendendi causâ bellum gerere necesse habet, cum denunciationem ab hoste acceperit, ut vicissim denunciaret, necesse non habet. Jus enim defensionis ei omnia, quæ contra hostem honestè suscipiuntur, in manus dat. 3. Indictione opus non est adversus eum, qui non indicto bello prior nobis vim intulit. Jura enim violanti jus redditur, si jus non præstatur. *Vid. Anti-Decalogus Theologico-Politicus Laurentii à Dript. art. 8. n. 15. pag. 391.* 4. Non indicitur etiam bellum hostibus perpetuis, si modò cum illis nulla
inter-


intercedat pactio. 5. Non indicitur, si periculum sit in mora. 6. Post inducias longas, ubi elapsæ fuerint, belli indictione opus non est: sicut enim feriis finitis, non denunciatur servis, ut redeant ad operas; sic nec Induciis finitis, quæ sunt feriæ belli, opus est denunciare reditum ad arma. *Vid. Neumaier von Krieg/c. 4. n. 82. pag. 413. 414.* Adde ea, quæ adduxi in *disp. de Bello*, §. 33. *Conringium in Prefatione Dissertationis Mithobii de Controversiis Sueco-Polonicis*, pag. 6. Jungatur *disp. de Spoliis Belligerantium* sub meo præfidio habita.

Addendum, ad §. 48, post illa verba:

Quam gloriam, imò utilitatem nunquam consecutus esset, si ubiq; devictos omnibus suis bonis exuisset, & præda petulanti militi exposuisset. Non possum, quin hic in medium adferam rarissimum quidem exemplum, quod memoriâ nostrâ in superiore bello, quod intercessit inter Hispanos & Belgas, accidit, & laudabiliter observavit in obsidione Bredæ, ab Ambrosio Spinola peractâ, *Henricus Bergius: Agrestium rebus non minus quàm commeatus consulebat. Milites ipse, tanquam incendiiorum præfectus, de igne (quem in horreis accenderant) extinguendo admonere. Indiligentiores, quorum incuriâ incendium malè obrutum resurrexerat, domosq; corripuerat, sub dio deinceps excubare facere, are diruere, sarcinidq; damni condemnare. Monere Aureliani more, de præda hostis, non de lachrymis provincialium viverent. Agrestibus adversus militarem licentiam Judices ferre, querimonias audire, compertos castigare. Quâ disciplinâ obtinuit, ut Coloni (à quibus maxima per pagos erat solitudo) è templis turribusq; in qua uxores, liberos, rem familiarem, frumenta deposuerant, ea venum darent, quæ metu clausa, compressaq; tenebant, & agricultoribus inanes sine maleficio exercerentur, &c. teste Hermanno Hugone, in Obsidione Bredana, pag. 48.*

F I N I S.





63158

AB 63158

ULB Halle 3
002 422 263



86

VD 17





30

DISSERTATIO POLITICA
DE
PRÆDA MILITARI,

Quam
AUXILIANTE DEO T. O. M.
SUB PRÆSIDIO
DN. M. JOH. PAULI *Selwingers* /
Polit. & Log. Prof. Publ. Universitatis
Senioris & Stipendiarius. Noricorum
Inspectoris

publicè pro viribus defendet
JOH. LUDOVICUS *Unker* / Hall: Saxo:
Ad d. Kalend. Novembr.
ANNO CHRISTI M. DC. LXXVI.

ALTDORFI
Typis Johannis Henrici Schönnerstädt.